
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

DE FORMIS QUIBUSDAM

DOCHMII ET VERSUS DOCHMIACI

APUD ÆSCHYLUM, SOPHOCLEM, EURIPIDEM

EXSTANTIBUS

Thesim Facultati Litterarum
in Parisiensi Universitate proponebat

J. ESTÈVE

in Nemausensi lyceo professor



NIMES
IMPRIMERIE COOPÉRATIVE " LA LABORIEUSE "
7, Rue Godin, 7
Médaille de Bronze à l'Exposition de 1900

1902

DE FORMIS QUIBUSDAM

DOCHMII ET VERSUS DOCHMIACI

APUD ÆSCHYLUM, SOPHOCLEM, EURIPIDEM

EXSTANTIBUS

Thesim Facultati Litterarum
in Parisiensi Universitate proponebat

J. ESTÈVE
in Nemausensi lyceo professor



NIMES
IMPRIMERIE COOPÉRATIVE " LA LABORIEUSE "
7, Rue Godin, 7
Médaille de Bronze à l'Exposition de 1900
—
1902

PROŒMIUM

Mihi non est in animo omnia quæ de dochmio et de dochmiaco versu dici possunt pertractare; quippe quæ complures jam ante me exsecuti sint, quorum ad libros lectores delegare licebit[1]. Quæ ad propositum meum attinent musicæ potius, ut vera dicam, quam metricæ sunt vindicanda.

Neminem fugit multa in musica Græcorum a dithyrambicis quinti sæculi esse mutata, et inter poetas, apud quos eorum auctoritas valuerit, Euripidem commotum esse plus quam quemvis alium. Qua de causa reperiuntur in ejus tragœdiis multæ cantilenæ quæ Æschyli et ipsius Sophoclis cantilenarum speciem vix referunt, adeo ut tragœdia, qualis ab Euripide tractata est, aliquid novum exstitisse videatur. Hoc inter multa alia notandum est: in omnibus fere Æschyli fabulis choreutæ semper præcipuas partes agunt et, quod ad musicam attinet, multo magis valent sine ullo dubio quam actor scenicus. Apud Euripidem contra

[1] Vide Rossbach et Westphal, *Metrik*; Christ, *Metrik der Griechen und Römer*; Seidler, *De versibus tragicorum græcorum*; Rossignol, *Dissertatio* (Paris, 1848).

chorus ea dignitate et gravitate, quam apud Æschylum habebat, magis in dies dejectus est, et, excepta una aut altera fabularum quas sub finem vitæ scripsit, in quibus antiquam choreutarum cantuum magnificentiam ad lucem revocare conatus est, contendere licet chorum multo minores partes agere quam actores, adeo ut nonnunquam prope nullus sit. Jam apud Sophoclem actor scenicus multum valet, sed actoris partes, quod ad musicam pertinet, prope eædem sunt quæ apud Æschylum. Quanquamenim in nonnullis Sophoclis fabulis cantus quorum actor est particeps paulo plures sunt quam apud Æschylum et quædam monodiæ ei personæ tribuuntur quæ primas partes agit (quod nunquam apud Æschylum evenit), tamen nihil reperitur in ulla Sophoclis tragœdia ex quo prospici possit quam splendidæ futuræ sint Euripidis cantilenæ. Cum igitur actor scenicus medio prope quinto sæculo maximas, ut dixi, partes ageret, tragœdia vehementior in dies motuque plenior facta erat. Quapropter quædam metra, quæ in Æschyli fabulis aut Sophoclis non erant adhibita plus quam alia, creberrime apud Euripidem inveniuntur, inter quæ dochmiacum, cum maxime idoneum sit ad exprimendos vehementes animorum motus, primum sine dubio obtinet locum.

Velim igitur, postquam breviter exposuero quæ

sit natura dochmii, quæque variæ ejus pedis formæ apud tragicos poetas inveniantur, circa quasdam earum commorari quæ cum ab Euripide sæpius quam aliæ adhibitæ sint, eo ipso tempore quo melodia ditior fiebat, et actor in fabulis majores suscipiebat partes, Euripides, ut videtur, dithyrambicorum auctoritate et eis partibus quas actori suo tribuebat, ad eas adhibendas adductus est. Apud Æschylum enim et apud ipsum Sophoclem rationalis dochmii forma ᴗ – – ᴗ – aut hæc altera rationali simillima ᴗ ᴗ ᴗ – ᴗ – sæpius quam quælibet alia inveniuntur; in Euripidis contra fabulis, quanquam eæ formæ, ut vera dicam, raræ non sunt, tamen resolutus dochmius ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ aut hic resoluto simillimus ᴗ ᴗ ᴗ – ᴗ ᴗ ᴗ creberrime adhibiti sunt. Forma autem rationalis dochmii ea est cujus rhythmum sentire non facile sit ; sed difficilius esse videtur rhythmum percipere ejus pedis, si omnes longæ resolutæ sunt, præsertim si complures ejus formæ pedes continuo adhibentur, adeo ut, quod apud Euripidem non raro evenit, periodi totæ e pedibus ejus formæ constent. Nam si nullo fere modo fieri potest ut legentes rhythmum ejusmodi periodi sentiant, id ne audientibus quidem facile fortasse erat, vel cum periodus caneretur, nisi is qui canebat peritissimus esset cantor. Erant autem in tragœdia choreutæ qui

cives primum fuerant, et vel cum artifices exstiterunt ii tamen videntur fuisse quibus, propterea quod complures una canebant, difficiles cantus tribuere non liceret; erant personæ quoque quæ usque ad Euripidis ætatem actores potius quam cantores fuerunt, deinde præsertim cantores, quibus poeta cantilenas tribuere poterat difficillimas. Si ergo periodi in quibus multi sunt resoluti dochmii in scenicis cantilenis reperiuntur multo plures quam in quolibet alio cantu, nonne contendere licet poetam cantorum peritia adductum esse ut resolutos dochmios et eas periodos quæ ex resolutis dochmiis constant adhiberet et, ut id aliter dicam, resoluti dochmii usum musica, quæ supremis Euripidis annis poesi longe præstabat, in lyricas tragœdiæ partes esse importatum?

Itaque comparate considerabimus primum choreutarum cantus apud tres poetas, deinde cantus quorum choreutæ et unus vel duo actores sunt participes, tum personarum cantilenas, ut quam accuratissime videamus quod cantilenarum genus apud Æschylum, Sophoclem, Euripidem resolutum dochmium maxime receperit. Deinde anquiremus utrum choreutis ipsis, qui nonnunquam apud Euripidem actoris, quod ad periodorum formam attinet, partes agunt, periodi ex resolutis dochmiis constantes tribuantur. Denique videbimus quæ sint periodorum formæ quas poeta

anteposuerit, ut cognoscamus num ea rhythmica simplicitas, quæ supremis quinti sæculi annis in tragœdia conspicua exstitit, formæ periodorum dochmiacarum sit assignanda.



Chronologica fabularum tabula

Fabulæ quarum annus quo inductæ sunt certus est.		Fabulæ quarum annus quo inductæ sunt incertus aut probabilis est.	

Æschylus

		Supplices	ante 472
Persæ	472		
Septem contra Thebas	467		
		Prometheus	?
Agamemno Choephorœ Eumenides	458		

Sophocles

		Ajax	ante 440
Antigona	441-440		
		Electra	post 440
		Œdipus Rex	circiter 430
		Trachiniæ	425-405
Philocteta	409		
Œdipus Coloneus	?		

EURIPIDES

Alcestis	438		
Medea........	431		
		Andromacha. .	430-424
		Heraclidæ	429-427
Hippolytus....	428		
		Hecuba.......	ante 423
		Heracles......	424-420
		Ion...........	ante 420
		Supplices.....	circiter 420
Troades	415		
		Electra	413
Helena	412		
		Iphigenia Taurica	412-403
		Phœnissæ.....	412-408
Orestes.......	408		
Iphigenia Aulidensis	post 406		
Bacchæ.........	post 406		

De rhythmico dochmii charactere

Satis constat dochmiacun metrum, quo tragœdia græca vehementior et motu plenior facta sit, eo majorem in dies locum habuisse, adeo ut pleræque cantilenarum, quas Euripides supremis vitæ annis composuit, metro dochmiaco scriptæ sint. Quod metrum animi perturbationi convenientissimum est. Dochmius enim, cum pes metabolicus sit[1], principem locum obtinet inter cetera metra quibus veteres poetæ ad exprimendum dolorem et desperationem[2] usi sunt ; idoneus est et aptissimus ad explicandos vehementissimos animorum motus, præstat omnibus ad exprimendos multiplices et inter se repugnantes[3] cupiditates variaque rerum perditarum discrimina. Nonnunquam etiam tumultuosa gaudia ac voluptates exprimere

[1] Cf. Westphal, *Metrik*[2] p. 761 : « Der dochmius gilt als ein ῥυθμὸς μεταβάλλων. »

[2] Cf. Aristid. p. 99 : « Οἱ δὲ μεταβάλλοντες εἰς ἕτερα βιαίως ἀνθέλκουσι τὴν ψυχήν, ἑκάστῃ διαφορᾷ παρέπεσθαί τε καὶ ὁμοιοῦσθαι τῇ ποικιλίᾳ καταναγκάζοντες. »

[3] Cf. Gevaert : *Histoire et théorie de la musique dans l'antiquité*, II, p. 125. Qua de causa plurimi sunt dochmii in Septem adversus Thebas; Cf. Gevaert, ibid. not. 1.

potest[1], quo fit ut nonnulla inter varios dochmii usus discrepantia inesse videatur, cum nihil magis dolori repugnet quam felicitas aut voluptas. Itaque eam discrepantiam, quæ primo adspectu speciosa videtur, nonnulli ita tollere conati sunt ut dicerent dochmium in iis ipsis locis, in quibus poeta lætitiam aut voluptatem exprimere voluerit, propter eventus qui aut antea inciderint aut paulo post consequantur nonnihil tristitiæ et mæstitiæ habere[2]. Velut in ea Æschyli fabula, quæ Choephorœ inscribitur, postquam Orestes Clytæmestram matrem et Ægisthum necavit, ut patris mortem ulcisceretur, mulieres chori carmen canunt, quod est lætitiæ plenum ; justitiam celebrant, quia post longum tempus Priamidæ justas pœnas ceperunt, cum ea justitia « duplici impetu, duplici cæde[3] » in Agamemnonis domum invaserit :

Vv. 937,38 : ἔμολε δ' ἐς δόμον τὸν Ἀγαμέμνονος
διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης.

Videntur eæ mulieres lætos clamores effundere, tanquam, cum diu oppressæ fuerint, tyrannis suis tandem liberatæ sint. Sed si quis reputare velit quæ lætitiæ causa sit, nonne inhorrebit et cunctos per artus tremet ? Filius, filius, inquam,

[1] Vide Gevaert, loc. cit.
[2] Vide Rossbach et Westphal, *Metrik*[2] p. 766.
[3] Weil : « Verte : duplex impetus, duplex cædes, Ægistho et Clytæmestra interfectis. »

matrem suam interfecit, et, quanquam id scelus justum Græcis videbatur, propterea quod ipse Apollo Oresti imperaverat ut matrem interficeret, tamen in eo aliquid est adeo horrendum ut animi spectantium, vel dum choreutæ canunt, majore afficiantur dolore quam lætitia. Nonnullæ aliæ sunt vel choreutarum vel personarum cantilenæ, in quibus lætitia aut felicitas celebratur, quanquam dolor magis quam voluptas spectantes perstringit. Ut enim unum exemplum proferam, verba quæ Jocaste in Euripidis Phœnissis [1] canit summa lætitia renident. Illa enim filium revisit, postquam diu afuit :

χρόνῳ σὸν ὄμμα μυρίαις ἐν ἁμέραις
προσεῖδον.

et præter spem :

ἰὼ ἰώ, μόλις φανεὶς
ἄελπτα κἀδόκητα ματρὸς ὠλέναις.

Mater amori indulgens filium amplectitur et eo fruitur ; sed quanquam lætitia ex omnibus ejus verbis, ut ita dicam, manifesta est, tamen, cum recogitat se tamdiu cari filii conspectu orbatam fuisse, dolor ejus major est quam lætitia, et infelix ea mater teneri non potest quin animo volvat quot et quantis malis filius affectus sit, et quæcunque

[1] 305-306, 310-311.

ex eo die quo Polynices paternam domum relinquere est coactus ipsa passa est, in mentem succurrunt ; neque lacrimis jàm temperat, cum meminit juvenem peregrinam uxorem duxisse, se autem non potuisse e majorum consuetudine nuptialem tædam filio suo inflammare. Est enim notandum ea commata, in quibus poeta illos mæstos Jocastes motus explicavit, metro dochmiaco, plerasque autem periodos in quibus lætitia exprimitur trochaico metro, velociore et leviore, esse scriptas.

Tamen, quanquam in illa monodia et in nonnullis aliis cantibus, quos proferre longum est, dochmiaci versus talem rationem reddere licet, nonnulli sunt in quibus lætitia inest mera et sincera. Cujusmodi est, ut id exemplum proferam, prior pars amœbæi inter Creusam et Ionem cantùs [1], item inter Orestem et Iphigeniam [2], etsi nonnullæ mœstæ periodi iis; quæ lætitiam exprimunt, immixtæ sunt. Nonne ii quoque in ordine dochmiorum lætorum ponendi sunt quos Helena canit cum Menelaus ei præter spem redditus est ? In eo ipso cantu dubium non est quin nonnullæ periodi, mæstam quandam recordationem exprimant, sed lætitia Helenæ major est quam tristitia, et ipse Menelaus, quanquam

[1] 1439-1509.
[2] In *Iphigeniæ Tauricæ*, 827-899,

non facile adduci potest ut ea credat quæ Helena narrat, gaudio potius quam mæstitia permotus lacrimas fundit :

vv. 654, 655 : Ἐμὰ δὲ δάκρυα χαρμονᾶν πλέον ἔχει
χάριτος ἢ λύπας.

Nil igitur mirum est si dochmiacus versus tam lætitiam quam tristitiam doloremve exprimere potest; quanquam enim re vera lætitia et dolor motus animi sunt maxime inter se repugnantes, minime tamen utriusque discrepat significatio; nam summa lætitia inordinata est et incomposita, neque mæsto homini quisquam similior est quam homo lætisisimus. Itaque eæ periodi, quas poetæ aut musici adhibuerunt ut lætitiam exprimerent, ad certam legem astringi non possunt : quod est in rhythmo dochmiaco deforme et tortuosum [1], et, ut ita dicam, claudum, aptissimum est ad eam confusionem exprimendam. Quapropter poetæ non dubitaverunt illo versu uti quotiescunque in animo erat maximam lætitiam et animi exsultationem significare.

Ex iis quæ diximus colligi posse videtur versum dochmiacum aptiorem esse iis cantibus qui commœ dicuntur, aut cantibus amœbæis, imprimis autem monodiis quæ apud Euripidem cum plurimæ tum agitationis plenissimæ sunt.

[1] Cf. Westphal, *Metrik*[2], p. 760 : ῥυθμὸς πλάγιος, obliquus, tortuosus.

Versus dochmiaci quæ sit ratio apud Æschylum, Sophoclem, Euripidem.

I. Apud Æschylum.

Apud Æschylum omnes pæne dochmii a personis chori canuntur, propterea quod, cum in omnibus fere ejus tragœdiis plurima a choro canantur, parodi et stasima, et, ad summam, omnes cantus in quibus choreutæ præcipuas partes agunt, principem sine ullo dubio inter ea quæ canuntur obtinent locum. In *Supplicibus* enim et in *Septem adversus Thebas*, nullus dochmiacus versus a fabulæ actoribus canitur. In *Agamemnone* nonnulli dochmii sunt in Commo Cassandræ et Chori [1] et in altero chori cantico [2]. In Choephoris duo sunt chorica dochmiaco metro scripta [3]; quæritur autem qua de causa nullus dochmius sit in magno illo threno Chori, Electræ et Orestis [4]. Orestes enim et Electra patris sui mortem comme-

[1] 1072-1177; str. Γ, Δ, E, imprimis Z, H.
[2] 1403-1430.
[3] 152-164; 935-972.
[4] 306-478.

morant, quam ignominiose interfectus sit is qui tot et tantis copiis præerat, cum deleta Troja in patriam redierit! Eorum animi cupiditate ulciscendi ardent, neque quidquam ira illa vehementius est quæ ex scelere Clytæmestræ in animis liberorum exstitit :

vv. 421-422 : λύκου γὰρ ὥστ' ὠμόφρων
ἄσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμός.

Nullus est apud Æschylum commotior aut cupiditate ardentior cantus, neque cui accommodatior aptiorque sit versus dochmiacus.

In Eumenidibus vero tres sunt dochmiaci cantus, quorum nulla persona particeps est, scilicet parodos [1], cantus diversarum chori partium, qui est ἄτακτον μέλος, [2], et secundum stasimon [3].

2. Apud Sophoclem

Apud Sophoclem quanquam multi dochmiaci cantus choro dati sunt, sunt tamen haud ita pauci qui a personis canantur.

Viginti sex dochmii sunt in antistrophicis chori cantibus. Vide *Electræ* 1384-1397, et *Philoctetæ*

[1] 143-178.
[2] 255-275, V. J. H. Schmidt, *Die Eurhythmie*, p. 252, not.
[3] 778-848.

391–518. In nonnullis canticis quæ sunt chori et unius vel duarum personarum chorus omnes dochmios aut saltem majorem dochmiorum partem canit : velut in *Ajacis* 879-960, in *Œdipi Regis* 647–667, in *Œdipi Colonei* 833-886, 1447–1499: Verum in *Ajacis* 348-427, in *Antigonæ* 1261-1247, in *Electræ* 1232–1286, in *Œdipi Regis* 1313-1368, omnes dochmii a persona canuntur. Ex quo colligere licet Sophoclem, quanquam in summam, quod ad musicam attinet, Æschylo similior est quam æquali Euripidi, tamen adeo magnas actori scenico partes tribuisse, ut jam ab ejus ætate prospici potuerit actorem aliquot post annis primum in lyricis tragœdiæ partibus locum occupaturum esse.

III. Apud Euripidem

Sunt apud Euripidem quoque nonnulla chori cantica in quibus poeta dochmiaco metro usus est. Vide *Ionis* 677-724, in quo e decem periodis non minus septem dochmiacæ sunt, *Phœnissarum* 291-300, 1284-1306, et duas longas strophas in *Orestis* 316–347, 1353–1565, cum antistropha quam chorus post monodiam servi phrygis canit, *Baccharum* 977–1023.

Nonnulla sunt etiam chori cantica formæ astro-

trophicæ : ejusmodi sunt *Hippolyti* 1268–1282, *Hecubæ* 1033–1034, *Electræ* 1147–1181, *Phœnissarum* 291-390, 1284–1306.

In quibusdam commis, in quibus sunt dochmiaci versus, chori solius dochmii sunt, cum persona trimetra declamet vel, si nonnullæ periodi a personis canuntur, poeta in eis alio metro, sive choreis, sive logaœdis, utitur. Vide *Medeæ* 1251-1292, *Hippolyti* 569–595, *Herculis furentis* 735–759 : hoc canticum prope chori canticum est, propterea quod Lycus partes infimas habet ; ejusdem 875–921 ; *Troadum* 1216-1239, *Iphigeniæ Tauricæ* 643-656, *Baccharum* 1030-1042.

Sed cum omnes eæ partes quas rettulimus non sint gravissimæ, contendere licet dochmiacum metrum apud Euripidem personarum sive querellis sive lætitiæ aptiorem esse quam choreutarum canticis. Choreutæ enim, vel in concitatissimis cantibus, tranquillitatem quandam servant, quia tranquillitas propria est chori ; qui mala quibus afficiuntur personæ contemplatur et de iis malis sententias edit, sed, ne multa dicam, personarum perturbatio vel motus, quantuscunque est, non tantopere eum commovet ut de tranquillitate sua discedat. Apud Æschylum varii et vehementes animorum motus nonnunquam choreutas agitant et insectantur ; qua de causa, præter rationem quam supra edidimus, choreutæ sæpissime

dochmiaco metro canunt. Sed affectus animi magis in dies facti sunt personarum proprii, adeo ut extremis quinti sæculi annis solas personas exagitent[1]. Itaque quo tragicus chorus minus gravis fiebat, eo minus magni momenti illius cantica erant, et ob eandem causam quo actor scenicus majores in fabula partes suscipiebat, choro ipsi, quod ad musicam attinet, præstabat. Itaque apud Euripidem plerique dochmii ad fabulæ actores pertinent. In plerisque commis persona, non chorus, canit. Vide *Hippolyti* 811-834 (commos est chori et Thesei), in quo major pars dochmiorum Theseo tributa est, *Hecubæ* 636-720, *Herculis furentis* 1042-1085, in quo quidem dochmii ex æquo propemodum inter choreutas et personam dispertiti sunt, *Phœnissarum* 1340-1351 (dochmii Creoni tributi sunt), *Orestis* 140-207 (dochmii ab Electra canuntur). In commo ejusdem fabulæ qui est Electræ, chori, Helenæ (1246-1310), cum viginti sint dochmii, quattuordecim Electræ tributi sunt, chorus vero non plus quam sex dochmios canit. Sed in amœbæis canticis præsertim et in monodiis aptissime adhibentur, imprimis in iis quæ ex imparibus commatibus constant. Ceterum personarum cantilenæ, in quibus poeta antistrophica forma usus est, rarissimæ sunt; paucissimi quoque sunt amœbæi can-

[1] Vide Weil : *Journal des Savants* (mai et juin 1896).

tus in quibus antistrophica forma adhibita est. Inter monodias referendæ sunt, in *Alceste*, Eumeli monodia [1], in *Troadibus* ea quæ a Cassandra canuntur (308-340) [2]. Notandum est dochmios in hac monodia rariores esse.

Plurimi contra sunt astrophici sive amœbæi cantus sive monodiæ, in quibus reperiuntur multæ et longiores dochmiacæ periodi. Cum necesse non sit omnes proferre[3], quosdam satis erit commemorare, de quibus pauca explicandi causa adjicere licebit.

In *Andromachæ* (825-865) amœbæo cantu Hermionæ et Nutricis ii animi motus qui adhibitis dochmiis exprimuntur eo magis significantur quod puella, primo satis placida, periodos canit in quibus dochmii pluribus iambis aut choreis metris præstant ; denique, cum Hermione vehementissime exagitatur, ultima commata nullum alium pedem admittunt quam dochmiacum.

In *Herculis furentis* 875-921 diplasica et dochmiaca metra æqua propemodum portione a principio usque ad finem sunt, sed ut habitus et color cantus jam a primis verbis satis manifesti appareant, poeta in primo commate dochmiaco metro

[1] Nullum in hoc cantico dochmium Westphal videt. V. R. et W. *Metrik*[3].

[2] De antistrophica monodiæ forma vide Decharme : *Euripide et l'esprit de son théâtre*, p. 532.

[3] V. Westphal, Schmidt, Christ...

utitur, quod nullo altero admixtum est, quemadmodum in majore ultimi commatis parte, in quo e quattuor periodis tres dochmiacæ sunt, prima et tertia et quarta.

Ionis 763-799 totum canticum dochmiaco metro scriptum est; una periodus est, et ea quidem brevissima, in qua non adhibetur illud metrum; quæ e duobus trochaicis pentapodiis constat, et inter præcipuam personam et pædagogum dispertita est[1].

Quod ad Helenæ 625-697 pertinet, quanquam nihil adhuc de variis dochmii formis neque de dochmiacis periodis notavi, tamen admonere volo eam personam, cujus affectus vehementiores sunt, alteram adeo impellere, ut forma periodorum quæ tribuuntur Menelao definiatur earum forma quæ ab Helena canuntur. Itaque nonnulla commata Menelai eandem prope formam habent atque Helenæ, quo fit ut in quibusdam partibus commatica forma non multum ab antistrophica absit.

Inter monodias satis erit proferre monodiam Polymestoris in *Hecubæ* 1056-1108, et Jocastis in *Phœnissarum* 301-354, in quibus periodi quæ sunt agitationis plenæ, quia sive dolorem, sive iram exprimunt, dochmiacæ sunt. Clamores enim quos Polymestor desperatione aut dolore permotus fundit, et mæsta illa, quæ Jocaste me-

[1] 769-770.

morat per lætitian quam e filii conspectu capit, dochmiaco metro scripta sunt.

Ex iis quæ dicta sunt facile perspici potest dochmiacum metrum, ut supra diximus, dolori aut cuilibet vehementi affectui aptissimum esse, adeo ut, postquam vehementissimi animorum motus personarum proprii facti sunt, id metrum in personarum cantilenis magis ac magis adhibitum sit.

*
* *

Dochmiorum tabula apud Æschylum, Sophoclem, Euripidem[1] *exstantium.*

APUD ÆSCHYLUM

1. Antistrophica chori cantica :	367	427
2. Antistrophici cantus :		
a. chorus :	40	
b. persona :	20	

APUD SOPHOCLEM

1. Antistrophica chori cantica :	26	253
2. Antistrophici cantus :		
a. chorus :	154	
b. persona :		
3. Commatici cantus :		
a. chorus :	0	
b. persona :	1	

[1] Vix necesse est præmonere hos numeros non esse ad amussim.

Apud Euripidem

1. Antistrophica cantica :	190	1.135
2. Antistrophici cantus :		
a. chorus :	127	
b. persona :	106	
3. Astrophici cantus :		
a. chorus :	216	
b. persona :	496	

De variis dochmii formis

Cum unaquæque arsis resolvi, unaquæque thesis produci possit, pes dochmiacus maxime varias formas habere potest. Seidler [1] enim duo et triginta dochmios numerat, quorum non omnium reperiuntur certa exempla [2]. Ex quo non est conficiendum inter varias eas formas quasdam esse, quæ nunquam sint adhibitæ, sed dochmiaca cantica quæ exstent non omnes dochmii formas habere. Secundum formam arsium et thesium Westphal dochmios in quattuor classes[3], Schmidt autem Seidler dochmios in octo classes distribuit [4], quorum non plures quam duo et viginti confirmat exemplis quæ ab Æschylo et Sophocle et Euripide mutuatur. Tres autem, cum in antistropha cum dochmio alterius formæ congruant[5], parum certi ab eo habentur. In eis igitur

[1] Seidler, *De versibus dochmiacis tragicorum græcorum*.
[2] Westphal. *Metrik*², p. 764.
[3] V. Tabulam dochmiorum apud Westphal, *Metrik*², p. 776.
[4] V. J. H. Schmidt, *Metrik*, pp. 511, 512.
[5] V. Seidler, I, p. 109 : « In universum observare licet Æschylum et Sophoclem, si major locorum numerus spectetur, eandem qua in stropha usi sunt, maxime si insolentior sit, in antistropha formam reducere, Euripidem vero, ut in aliis, ita hac quoque in re se paulo gessisse liberiorem. »

dochmiacis canticis quæ habemus duodeviginti tantum dochmii exstant quorum forma admodum certa est, certisque exemplis confirmari potest.

Ne eadem quæ ab aliis jam tractata sunt retractem, non persequar unamquamque dochmii formam, quod quidem ad propositum meum parum attinet ; circa quasdam tamen earum commorabor, quarum sensus, cum summorum poetarum ætate magis in dies sint adhibitæ, satis plane explicari posse videtur.

Rationalis dochmii forma hæc est :

⏑ – – ⏑ –

Tres syllabæ longæ stabilem et severum eum faciunt [1] ; quamobrem dochmii ejusmodi in quolibet dochmiaco cantico et in quovis cantici loco adhiberi possunt. Quanquam vero tales dochmii multi sunt, tamen is, cujus prima arsis resoluta est, in plerisque canticis sæpius adhibetur, scilicet :

⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ –

Quæ forma apud Æschylum et Sophoclem, et in multis Euripidis canticis sæpissime reperitur, nonnunquam rationali formæ respondens.

[1] De hac dochmii forma agitur apud Quintilianum, I. O. IX, 4, 97 : « Est et dochmius qui fit ex bacchio et iambo, vel iambo et cretico, stabilis in clausulis et severus. »

Vide *Æschyli Supplicum* vv. 394-404 Γ : γάμου δύσφρονος ◡ — — ◡ —, ὅσια δ'ἐννόμοις ◡ ◡ ◡ — ◡ —, Sophoclis *Antigonæ* 1261-1347 : βλέπον|τες ἐμφυλίους ◡ — — ◡ — et in antistropha τίνα θροεῖς λόγον ◡ ◡ ◡ — ◡ — ; Euripidis *Orestis* 1353-1548, in stropha : κτύπον καὶ βοὰν ◡ — — ◡ — et in antistropha : ἕτερον ἂν δόμος ◡ ◡ ◡ — ◡ — in stropha : δόμοις κείμενον ◡ — — ◡ —, et in antistropha : αἰ|θέρος ἄνω καπνός ◡ ◡ ◡ — ◡ —, et multos alios locos.

Ii autem dochmii quorum duæ vel tres syllabæ longæ resolutæ sunt, levitate et alacritate præstant ; tamen vel in dochmio ejusmodi ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ — firmum aliquid ac stabile propter finalem longam inest, et ob eam causam sub finem versus aut periodi, nonnunquam etiam commatis, reperitur, quanquam id rarius fit. Is autem qui nullam syllabam nisi brevem habet, cum velocissimus et alacerrimus sit, neque in fine commatis aut strophæ adhiberi, neque versum terminare potest. Namque tam vocum quam organorum cantus sono uberiore in clausula gaudet, et si, quod ad metricam attinet, duæ breves syllabæ idem valent atque una longa, ea paritas non fit iis qui musicam intuentur, propterea quod duæ finales breves audientium aures parum grate impellunt.

Hæ sunt præcipuæ dochmii formæ ; ceteræ ab eis derivatæ dici possunt.

Præter solitas formas, alia dochmio esse potest

per syncopen concisa quæ hujusmodi est :

∪ | ⊔ | ∪ –

in qua duæ primæ longæ in unam syllabam quattuor morarum conjunctæ sunt. Quam quidem ut iambicam dipodiam quidam metrici scriptores metiuntur. Tamen, cum ejusmodi dochmius sæpissime in quibusdam dochmiacis canticis adhibeatur, licet eum, ut Schmidtio placet, dochmium haberi. Cum plerumque exclamationi aut interjectioni respondeat (qua de causa, ut dixi, in cantus vel strophæ vel commatis initio reperitur), neque cum alio cujuslibet formæ dochmio in dimetrum vel in quodvis aliud metrum conjungatur, veri dochmii instar haberi videtur et fortasse reapse idem valebat quod quædam ætatis nostræ modulationes quas cantori producere ad libitum et protrahere licet[1].

Cujus dochmii non multa exempla proferam ; satis erit animadvertere eum præcipue adhibitum esse in *Herculis furentis* 875-921 (Commos chori et Amphitryonis), ubi Amphitryonis dochmii quasi initialis cantus modulatio sunt, quam reliquum comma explicat, immo cujus id quod sequitur quasi enarratio et commentarium est. Notandum

[1] « **Point d'orgue** ».

est unumquemque horum dochmiorun commatis initium significare [1] :

ἰὼ στέγαι ... ἰὼ δόμοι ... αἰαῖ κακῶν ... ἰδοὺ ἰδού ...

Alia exempla sunt in Euripidis *Supplicum* 1072-1079, ἰὼ τάλας, in *Hippolyti* 811-884, ἔα ἔα, in *Phœnissarum* 301-354, ἰὼ τέκνον, ... ἰὼ τέκος, et in multis aliis locis quos proferre necesse non est [2].

Nullus ejus formæ dochmius apud Æschylum reperitur. Non enim videntur pro eis esse habendi nonnulli dochmii qui a Schmidtio prolati sunt, quia cum interjectione non congruunt [3]. Rarissimus in Sophoclis quoque fabulis est, quanquam legitur in *Œdipi Regis* 1313-1368 :
Stropha : ἰὼ σκότον, antistropha : ἰὼ φίλος ;
et in *Œdipi Colonei* 843-846 :
Stropha : ἰὼ πόλις, antistropha : ἰὼ τάλας.
In *Electra* nescio num dochmius ejus formae sit : non videntur saltem idem valere atque in locis supra citatis, et forsitan habendi sint quattuor dochmii : ἰὼ γυναὶ.... ἐμόλετ' ἀρτίως [4] in unum tetrametrum conjuncti.

Non dubium est illam formam, si nihil aliud nisi metricam artem intuemur, quasi depravatio–

[1] Wilamowitz, *Herc. fur.* Commentar, p. 212.
[2] V. J. H. Schmidt, *Die Monodien und Wechselgesänge*, p. 82.
[3] V. J. H. Schmidt, *Die Eurythmie*, *Eum.* 143-178, *Supp.* 734-759.
[4] Sophocl. *Elect.* vv. 1232-34.

nem esse rationalis dochmii ; sed ne obliviscamur metricam musicæ vitio minus in dies puram esse factam. Apud Euripidem enim, qui novorum dithyrambicorum exemplum secutus est, metrica syllabarum æstimatio musicæ æstimationi subjicitur, neque ulla alia ratione explicari licet quod sæpe longa syllaba in brevis, brevis in longæ locum succedit. In summa non difficilius est hujus formæ dochmium ⏑ ⏗ ⏑ – quam illius – – – – – ratum habere. Per musicam, ut hoc iterum dicam, cum modi poesi præstarent, quædam pedum formæ legitimæ et accipiendæ exstiterunt, quæ principio iniquæ videbantur; qua de causa metrici scriptores, qui metricam, non musicam intuebantur, eas tales habere potuerunt.

De dochmio resoluto

Inter varias dochmii formas una exstitit quæ apud Euripidem sæpissime invenitur, cujus duæ aut tres longæ resolutæ sunt :

sive : ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –, sive ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ .

1. Apud Æschylum, quanquam, ut vera dicam, multo rarior est quam apud Sophoclem præsertim apud Euripidem, jam invenitur. Vide *Septem contra Thebas* 78-181 (in stropha[1]), *Supplicum* 346-406[2], *Agamemnonis* 1072-1177[3], Nullus reperitur in *Choephoris* ; tres sunt in *Eumenidibus* (255-275, 778-848[4]).

2. Hic dochmius crebrius adhibetur a Sophocle, imprimis in novissimis fabulis, in quibus, ut jam dictum est, Euripidis auctoritas multum

[1] V. 80 : ῥεῖ πολὺς ὅδε λεώς ⏊ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – .

[2] V. 363 : ἱεροδόκα θεῶν ; vv. 371, 382 : πρύτανις ἄκριτος ὢν — φύλακα πολυπόνων.

[3] Vv. 1162-1166 : τί τόδε τόρον ἄγαν — μινυρὰ θρεομένας ; vv. 1173-1175 : ἑπόμενα προτέροις — γοερὰ θανατοφόρα

[4] Vv. 256, 265 : ματροφόνος ἀτίτας — πέλανον ἀπὸ δὲ σοῦ ; v. 786 : πέδον ἐπισύμενος.

valet. Satis erit proferre *Ajacis* 348-427[1] *Antigonæ* 1261-1347[2], *Œdipi Regis* 1313-1368[3]. Nullus resolutus dochmius est in *Electra* (1232-1286), in qua tamen alii pedes, et ii quidem satis multi versuum trochaicorum resoluti sunt[4], neque in commatio Œdipi et chori in *Œdipi Regis* 649-697 de quo idem est notandum[5]. Sed ad summam, quanquam resoluti dochmii paulo plures pro portione sunt apud Sophoclem quam apud Æschylum, tamen contendere licet illam formam apud hunc raram esse.

3. Apud Euripidem vero creberrima est. Ante omnia dicendum est resolutiones magis ac magis esse adhibitas in euripideis tragœdiis, neque solum in dochmiaco, sed etiam in quolibet alio rhythmo. Non raro accidit longas periodos ex resolutis unice pedibus constare. Musica enim sub finem quinti sæculi multum mutata et rapidior facta erat; quod musici ætatis nostræ « tempo », veteres autem « ἀγωγήν »[6] vocabant, velocius factum erat, et ad eam causam referre oportet

[1] V. 359.
[2] V. 1273.
[3] V. 1314, 1350, 1332 ?, 1330.
[4] Vide imprimis strophæ finem, in qua inter sedecim pedes septem e brevibus syllabis constant.
[5] Ibi quoque sunt septem resoluti pedes continui.
[6] Vide Arist. Quintil. p. 42 : « ἀγωγή· χρόνων τάχος ἢ βραδύτης. »

magnam copiam resolutorum pedum qui apud Euripidem notantur. Dochmius quoque, ut cetera metra, in eam partem mutatus erat.

Hujusmodi dochmii reperiuntur in *Heraclidarum* 73-110 (quattuor dochmii resoluti sunt), in *Herculis furentis* 1178-1213 (item quattuor), in *Ionis* 763-799 (quattuor), in *Troadum* 289-291 (quinque), in *Iphigeniæ Tauricæ* 827-899 (octo) ; sed notanda sunt inter cetera ea cantica in quibus non solum reperiuntur multi dochmii resoluti, sed partes periodorum vel periodi totæ e resolutis dochmiis constant. Ejusmodi sunt *Herculis furentis* 875-922, ubi tres continui dochmii resoluti sunt, *Helenæ* 625-697, in quo cantico non minus sunt quattuordecim dochmii resoluti, quinque continui, *Orestis* 140-207, qui decem dochmios habet resolutos, quattuor autem continuos.

Sed multum interest animadvertere hanc dochmii formam apud Euripidem cum artificio quodam conjunctam esse, quod poeta in cantibus personarum sæpissime adhibuerit, scilicet verborum iteratione. Plerumque enim, cum in dochmiaca periodo complures sunt resoluti dochmii, eæ resolutiones sive cum iteratis verbis sive cum similibus verbis congestis congruunt. Quod quidem jam apud Æschylum et apud Sophoclem factum erat.

Vide Æschyli *Septem adversus Thebas* 204 :

ἁρματό | κτυπον ὄτοβον ὄτοβον,

Sophoclis *Philoctetæ* 307 :

ὅτε τὰ πάτρια τεύχεα παρεδίδοσαν,

Antigonæ 1268 :

ἔθανες, ἀπελύθης,

Œdipi Regis 1314 :

νέφος ἐμὸν ἀπότροπον, ἐπιπλόμενον ἄφατον,

Ejusdem 1330 :

ὁ κακὰ κακὰ τελῶν ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα (?).

Sed multi sunt apud Æschylum et apud Sophoclem resoluti dochmii qui cum iteratis verbis non congruunt. Contra in Euripideis fabulis semper fere id accidit. Sequuntur nonnulli loci in quibus verborum iterationes sunt :

Medeæ 1252 :

κατίδετ' ἴδετε τάν. . . . .

Hecubæ 690 :

ἕτερα δ' ἀφ' ἑτέρων κακὰ κακῶν κυρεῖ. . . . .

In *Orestis* versibus 149-150 quattuor sunt dochmii

resoluti, quorum quisque cum verborum iteratione conjunctus est, vel cum similibus verbis :

κάταγε, κάταγε, πρόσιθ' | ἀτρέμας ἀτρέμας ἴθι· |
λόγον ἀπόδος ἐφ' ὅ τι | χρέος ἐμόλετέ ποτε.

Quæ ratio apud Euripidem adeo præstat ut nonnunquam in stropha unus vel plures resoluti dochmii sint, qui cum iteratis verbis congruunt, in antistropha autem, si nulla est verborum iteratio, dochmius aut dochmii sint formæ rationalis : velut *Troadum* 308-340 stropha a dimetro dochmiaco incipit, cujus prior dochmius resolutus est, cum sit verborum iteratio :

ἄνεχε πάρεχε, φῶς ;

nulla contra sunt in antistropha iterata verba, et dochmius solitam habet formam :

πάλλε πόδ' αἰθέριον.

Quod attinet ad alterum dochmiacum dimetrum contra evenit, cum in stropha non resolutus dochmius sit, neque sint in eo loco iterata verba :

φέρε· σέβω, φλέγω ;

in antistropha autem, ubi sunt iterata verba, resolutus est dochmius :

ἄναγ' ἄναγε χορόν.

Dochmii resoluti non cum iteratis verbis solum congruunt, sed etiam, ut supra diximus, cum serie verborum similium, id est similiter consonantium, nonnunquam etiam, quanquam sane rarius, cum verbis quæ idem valent aut ejusdem basis sunt [1]; ex quo apparet musicam jam ab Euripidis ætate poesi longe præstitisse [2]. Musica enim poetam in eligendis verbis impellit potius quam verba certum modulandi modum postulant. Nolo tamen contendere poetam, in scenicis saltem cantilenis, modos fecisse prius quam versus scriberet, quod certe scimus longe aliter fuisse [3], sed eum, quod verisimile est, dum versus scriberet ejus cantus quem dramatis personæ tribuere vellet, cogitavisse plerumque magis quo modo audientium aures modulatione afficeret quam quibus affectibus animos commoveret, et in animo jam habuisse musicas periodos et modulationes quibus sententias quasi indueret.

Vidimus jam apud Æschylum et Sophoclem dochmios resolutos cum serie verborum similium nonnunquam conjunctos esse; sed ea scribendi

[1] Vide J. H. Schmidt, loc. cit.

[2] De musica poesi præstante, vide Vincent ad Rossignol, pp. 4 seq, et id quod Athenæus de Homeri carminibus scripsit quæ ut canerentur erant scripta, Sum Xenophanis, Colonis, Thespidis, aliorum versus scripti essent ut recitarentur. (Ath. XIV, p. 632, c.).

[3] Gevaert, *La mélopée antique dans le chant de l'Eglise latine, Appendice.*

ratio in Euripidis fabulis creberrima fit. Vide *Orestis* 150:

χρέος ἐμόλετέ ποτε,

Herculis furentis 1019:

τὰ δ' ὑπερέβαλε, παρέδραμε,
σὺ δὲ τέκνα τρίγονα τε | κόμενος,
ἀπὸ δὲ πατέρα μέλαθρα.

Iphigeniæ Tauricæ 655:

ἔτι γὰρ ἀμφίλογα δίδυμα μέμονε φρήν,

Phœnissarum 1513:

τοιάδ' ἄχεα φανερά.

Multa sunt alia exempla quæ referre necesse non est.

Denique resoluti dochmii nonnunquam cum serie verborum monosyllaborum aut saltem brevium congruunt : levitas enim, quæ ejusmodi periodo propria est, felicissime et aptissime illa serie brevium syllabarum exprimitur. Ejusmodi reperiuntur dochmii in *Helenæ* 684:

τά τε σὰ καλὰ μέλαθρα,

Orestis 150:

λόγον ἀπόδος ἐφ' ὅ τι,

Electræ 1152 :

σχετλία, τί με, γύναι ;

Troadum 244 :

τίν' ἄρα τίς ἔλαχε ; τί | να. . . .
τί τόδ' ἔλαχες ἄρα μοι.

Si igitur attendimus verborum iterationes apud Euripidem fieri solere in monodiis, et, ut summatim dicamus, in iis lyricis partibus quarum una aut duæ personæ participes sunt, eas autem non in dochmiacis tantum canticis, verum etiam in quolibet metro accidere, si præterea notamus hanc componendi rationem cum resolutorum pedum magis aut minus longa serie congruere, hoc probabiliter conficiemus resolutos dochmios plerumque personis tribui, eos autem qui a choreutis canuntur rationalis formæ esse, sive : ∪ – – ∪ –, sive : ∪ ∪ ∪ – ∪ –. Quod quidem discrimen apud Æschylum non fit, propterea quod resoluti dochmii in ejus tragœdiis rariores sunt, et dochmiaca cantica, cujuscunque formæ sunt, omnia fere a choreutis canuntur[1]. Apud Sophoclem vero, quanquam ne apud eum quidem plurimi exstant resoluti dochmii, tamen videntur potius personarum quam choreutarum cantibus tribui. Velut in *Antigonæ* 1262, 68, 85, 91, omnes resoluti doch-

[1] **Vide dochmiorum tabulam p. 20.**

mii a Creone canuntur, item in *Ajacis* v. 359, in *Œdipi Regis* v. 1314.

νέφος ἐμὸν ἀπότροπον, ἐπιπλόμενον ἄφατον,
σὺ μὲν ἐμὸς ἐπίπολος ἔτι μόνιμος· ἔτι γάρ. . . .
ὁ κακὰ κακὰ τελῶν ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα, ...
νομάδος ἐπιποδίας ἔλαβέ μ' ἀπό τε φόνου. . . .

Omnes hi dochmii ab Œdipo canuntur.

Rarissime tribuuntur choreutis dochmii resoluti. Vide tamen *Philoctetæ* v. 397 :

ὅτε τὰ πάτρια τεύχεα παρεδίδοσαν,
μετατιθέμενος ἔνθαπερ ἐπιμέμονεν.

Ceterum animadvertendum est hunc chori cantum hyporchema esse, quod scimus non in dochmiaco solum metro sed in ceteris quoque metris maximam velocitatem admisisse ; quamobrem resolutus dochmius ei levitati quæ propria est hyporchematis aptissimus erat.

Vide *Œdipi* quoque *Colonei* v. 1479 :

διαπρύσιος ὄτοβος[1].

Hi sunt soli dochmii qui in choreutarum partibus apud Sophoclem reperiuntur.

Apud Euripidem, ut chori cantus pristina gra-

[1] In antistropha locus est corruptus et versus semiplenus : forsitan scribendum sit cum Schmidtio : ἐπὶ γύαλον ἔμολες, quo facto alter dochmius exsistit dochmio strophæ respondens.

vitate et dignitate dejicitur, sic personarum gravitas, quod ad musicam pertinet, major fit; itaque, cum vehementior in dies fiat, cumque ex altera parte ea quæ in musica mutata sunt rhythmum velociorem et rapidiorem fecerint, resolutus dochmius semper fere in personarum cantilenis adhibetur. Nolo negare ullum reperiri in stasimis; sunt enim nonnulli, quin etiam plures pro portione quam in choris Æschyli aut Sophoclis, sed non est obliviscendum septem tantum Æschyli, septem Sophoclis fabulas ad nostram ætatem pervenisse, cum Euripidis septemdecim habeamus. Dochmius resolutus raro in choreutarum partibus adhibetur et animadvertere licet in chori canticis periodos quæ unice aut maxime resolutis dochmiis constent rarissimas esse si modo ullæ sint, hoc autem sæpissime accidere in personarum cantilenis. Hoc quoque notandum est, plerorumque chori cantuum in quibus ejusmodi dochmii incidant formam non esse antistrophicam; omnes fere commi sunt in quibus choreutarum partes, ut verum dicamus, nonnunquam graviores sunt quam partes personæ, sed in his, cum sint formæ commaticæ, nova dithyrambicorum musica haud parvi fuisse momenti videtur. Apud ipsum enim Sophoclem ii cantus, quorum choreutæ participes sunt, antiquitatem redolent, quia, quamvis graves sint actoris partes, chorus, quod

ad musicam attinet, personæ haud dubio præstat; in Euripideis autem fabulis antistrophici cantus non tantam dignitatem retinuerunt ut eam formam in aliis cantibus, quos parum decebat, conservarent; scenicæ contra cantilenæ novissimis illius ætatis annis choreutarum cantica paulatim mutaverunt, quod non ad formam sed ad musicam pertinet, quotiescumque persona aliqua in eis versabatur.

Nullos enim resolutos dochmios in antistrophicis chori canticis invenimus, nisi in *Medeæ* 1852:

κατίδετ' ἴδετε τάν. . . . .

in *Ionis* 690:

ἄτοπος ἄτοπα γάρ. . . .

in *Electræ* 1153:

πατρίδα δεκέτεσι' . . .

in ejusdem 1164:

δρύοχα νεμόμενα. . . .

et 1170:

σχέτλια μὲν ἔπαθες, ἂν | ὅσια. . . .

[1] Schmidt scribit in versu 1152: σχέτλια, τί με, γύναι;

in *Phœnissarum* 276 :

πύτνια, μόλε πρόδρομος,

in earundem 299 :

ὑπώ | ροφα μέλαθρα περᾶν,

in *Orestis* 330 :

ἔλακεν, ἔλακε δεξάμενος ἀνὰ δάπεδον·

(Ceterum in antistropha cum eo dimetro convenit dimetrum non resolutum, v. 346).

in ejusdem 1249 :

πότνια παραμένει ;

et 1364 :

διὰ τὸν ὀλόμενον, ὀ | λόμενον.

in *Baccharum* 987 :

ἐς ὄρος ἐς ὄρος ἔμολεν.

in earundem 988 :

τίς ἄρα νιν ἔτεκεν ;

Igitur, cum sint multo plures Euripidis quam Æschyli et Sophoclis tragœdiæ, cumque Euripides sæpissime dochmiacum metrum adhibuerit, dicere licet resolutos dochmios qui a choreutis canantur non esse plurimos. Atque hoc notandum

est, nonnullos eorum locorum quos rettulimus eis canticis contineri quorum persona sit particeps, eosque cantus verisimile est immutatos esse novæ musicæ auctoritate ; forsitan etiam duo *Baccharum* exempla oporteat a ceteris sejungere, cum in illa fabula chorus personæ partes agat, et in plerisque eorum cantuum, qui Bacchis tribuuntur, videantur inesse quædam periodi quæ personarum magis propriæ sunt quam choreutarum.

Paulo plures sunt resoluti dochmii qui a choro canuntur in commaticis cantibus, scilicet in *Heraclidarum* 73-110, in quo chorus quattuor resolutos dochmios habet, in *Hippolyti* 569-595 (unum), in *Herculis furentis* 705-759 (tres), in ejusdem 375-921 (quattuor), in *Supplicum* 1072-1077 (unum), in *Troadum* 1216-1239 (unum), in *Electræ* 585-595 (unum), in *Iphigeniæ Tauricæ* 643-652 (duo), in *Phœnissarum* 291-300 (duo), in *Baccharum* 1030-1042 (unum).

Plurimi autem sunt in scenicis cantilenis, sive antistrophicæ sunt, sive commaticæ, quæ quidem multo plures inveniuntur. Non satis causæ puto ut singulos proferam[1]; quædam exempla præcipue notabilia commemorare satis erit, sive quod ejusmodi dochmii plurimi exstant in periodorum summa e quibus cantus constat, sive quia periodi totæ eam formam habent.

[1] Vide tabulam infra positam.

In commatico cantu Amphitryonis et chori (in *Herculis furentis* 1042-1085), quanquam dochmii ceteris metris non præstant, tamen reperiuntur quattuor resoluti dochmii, quorum duo continui, ex quo fit ut cum insequentibus verbis ἔ(κανε δὲ τέκεα) duodeviginti sint continuæ breves syllabæ :

Vv. 1061,62 : ὕπνον ὕπνον ὀλόμενον,
ὃς ἔκανεν ἄλοχον, ἔ(κανε δὲ τέκεα, τοξήρει.) . . .

Idem animadvertendum est in ejusdem fabulæ cantu amœbæo Amphitryonis et Thesei (1178-1213) :

ἐμὸς.ἐμὸς ὅδε γόνος | ὁ πολύπονος, ὃς ἐπὶ | δόρυ, γιγαντοφόνόν.....

Quinque sunt resoluti dochmii in *Troadum* amœbæo cantu Hecubæ et Talthybii (239-291) [1]. Sed imprimis notandi sunt ii cantus quos infra proferam, in quibus non solum dochmii resoluti adeo multi sunt ut in eis rerum caput, quod ad musicam attinet, inesse videatur, sed etiam nonnullæ periodi totæ fere e resolutis dochmiis constant.

Vide *Helenæ* 625-697 :

Vv. 628 : περί τ'ἐπέτασα χέρα,
650 : πόσιν ἔχομεν ἔχομεν,
654 : ἐμὰ δὲ δάκρυα χαρ|μονᾶν,
690 . ὁ Διὸς ὁ Διὸς ὦ|πόσι,

[1] Versus 244, 260, 265, 269, etc.

684 : τά τε σὰ κατὰ μέλαθρα, | πάθεα πάθεα μᾶ | τερ,
697 : δὶ ἐμὲ κατεδήσατο,
689 : ἄγαμος, ἄτεκνος, ὤ,
690 : γάμον ἄγαμον ἐμόν,
imprimis : 694-109 : ἐμὲ δὲ πατρίδος ἀπὸ | κακόποτμον ἀραίαν |
ἔβαλε θεὸς ἀπό τε | πόλεος ἀπό τε σέθεν, | ὅτε μέλαθρα λέχεά τ'...

In amœbæo cantu Iphigeniæ et Orestis (in *Iphigeniæ Tauricæ* 827-899), resoluti dochmii plurimi sunt : ter autem bini dochmii reperiuntur continui :

Vv. 829 : χθονὸς ἀπὸ πατρίδος,
v. 832 : κατὰ δὲ δάκρυα κατὰ | δὲ γόος ἅμα χαρᾷ,
v. 834 : τὸν ἔτι βρέφος ἔλιπον,
vv. 870-71 : σύγγονε παρὰ δ'ὀλίγον | ἀπέφυγες ὄλεθρον ἀν|όσιον.

Proferendus est etiam is *Orestis* cantus (qui est commos Electræ et Chori, 140-207), qui propter magnam resolutorum dochmiorum frequentiam omnino similis est cantui *Helenæ*, (de quo vide supra) :

Stropha A : κάταγε κάταγε, πρόσιθ' ἀτρέμας ἀτρέμας ἴθι·
λόγον ἀπόδος ἐφ' ὅ τι χρέος ἐμόλετέ ποτε.....
Antistropha A' : ἄδικος ἄδικα τότ' ἄρ' ἔλαχεν ἔλαχεν, ἀπόφονον, ἐπὶ τρίποδι Θέμιδος ἄρ' ἐδίκασε....
Srropha Γ : ἐρεβόθεν, ἴθι μόλε.....
Antistropha Γ' : πατέρα τέκνα τάδε. . . . .

Vide etiam versus 185-186, qui a Weilio [1] correcti sunt in stropha :

Stropha : στόματος ἀνακέλαδον ἀποπρὸ λέχεος ἥ|συχον. . . . .
Antistropha : ἄγαμος ἔπιδ', ἄτεκ|νος ἅτε βίοτον ἄ. . . . .

[1] Weil, *Euripide*, p. 500, N. C. v. 185.

Ex iis quæ dicta sunt concludere licet dochmium resolutum in scenicis cantilenis sæpius in dies adhibitum esse. Vetus disciplina a novis dithyramborum auctoribus mutata rhythmum, ut dixi, velociorem reddiderat, quia modos rhythmo præstantiores fecerat ; quo fit ut eæ brevium syllabarum coacervationes, quæ sub finem scenicarum cantilenarum sive in commis sive in amœbæis cantibus sive in monodiis manifestæ sunt, cum velociore ἀγωγῇ semper congruant eisque habitum et colorem imprimant simillimum ei quem musici ætatis nostræ « finale agitato » vocant. Quæ non tantum in rhythmo dochmiaco mutata sunt sed etiam sæpissime in trochaicis aut iambicis, præsertim in iis qui antistrophicam formam non habent. Ut nonnulla exempla edam, animum legentis convertam in ultimam periodum *Troadum* cantus 1287-1332, (qui est commos Hecubæ et chori) in quo, cum viginti sint pedes, quorum decem resoluti, duodeviginti primo, dein decem breves syllabæ continuæ sunt. Vide etiam primam periodum ultimi commatis amœbæi cantus*Phœnissarum* (1485-1581), in qua e sedecim pedibus non minus quam undecim sunt resoluti ; in duobus ultimis commatibus insequentis cantus (1710-1757) idem fere accidit : in quo oportet imprimis animadvertere secundam periodum commatis Γ, in qua octo pedes e duodecim reso-

luti exstant ; quo fit ut quattuor et viginti syllabæ breves continuentur ; ultimam quoque periodum commatis Δ proferam, in qua sunt quinque resoluti pedes. Eæ brevium syllabarum series aptissimæ sunt ad exprimendam eam velocitatem quæ in tragœdiæ cantibus crebrior facta erat, adeo ut fabulæ quæ sub finem quinti sæculi scriptæ sunt ab Æschyli tragœdiis et ipsius Sophoclis ita dinoscantur. Quamvis magnus animi affectus choreutas agitet, raro evenit ut tam vehementes sint ut ejusmodi periodi in cantibus chori locum habere possint. Itaque hæc scribendi ratio rarior est vel apud Euripidem, etiam in commis.

Ceterum præterquam quod illæ periodi tales cantus non decebant, alia causa est cur in lyricis chori partibus non adhibitæ sint. Haud dubio fieri potest ut complures cantores concinentes, si modo exercitati et assueti sint, rhythmum periodi iambicæ aut trochaicæ (iambicam aut trochaicam profero, quia multo simplicior est quam dochmiaca) auditu sensibilem faciant, etsi omnes aut saltem plerique pedes resoluti sint. Verisimile enim est, cum tragicus chorus non jam ex civibus[1] sed ex artificibus constaret[2], musicam minus

[1] Quos Aristoteles ἐλευθέρους vocat (Probl. XIV. 15).
[2] Cf. Croiset, *Pindare*, pp. 93, 94.

simplicem fuisse quam fuerat a principio usque ad Euripidis ætatem. Simul ac rhythmus simplicior erat factus, melodia ditior modulationibus multis evaserat, neque dubium est majorem in dies varietatem melodiæ causam fuisse ut rhythmus simplicior fieret. Ea enim simplicitas quæ in quibusdam Euripidis cantibus manifesta est, imprimis in quibusdam epodis (in qua parte cum saltatio minus gravis sit quam in stropha et in antistropha, melodia saltationi præstitisse videtur), cum eo tempore evenisset quo dithyrambici multa in musica mutaverant, credibile est pleraque Euripidis stasima, quæ multis de causis Agathonis embolima jam prænuntiant, audientibus qui in ingenti Dionysi theatro assidebant melodia saltem placuisse. Sed quoquo modo res se habet, quamvis magnam varietatem putemus fuisse in eis quæ Euripidis ætate a saltantibus choreutis canebantur, cum certus sit modus quem excedere non liceat, verisimile est melodiam chori cantuum semper simpliciorem fuisse. Non enim est obliviscendum semper difficile esse cantoribus, quicunque sunt, etiamsi sunt paulo exercitatiores vel si artifices sunt, difficiles cantus tribuere. Dochmius autem is est cujus rhythmus difficillime percipiatur, vel in rationali forma, quæ satis simplex est ; hoc metrun tortuosum claudumque ut percipiatur necesse est a peritissimo cantore,

præsertim a cantore uno cantetur. Ob eam causam dochmiacum metrum merito dici potest scenicarum cantilenarum proprium. Quin etiam ea ipsa quæ summa est cantus dochmiaci difficultas, cum is a pluribus cantoribus canitur, ea, inquam, jucunditas summa erat et illecebra, cum dochmiaci versus a scenica persona canebantur. Ii enim qui Polymestoris aut Jocastes querellas audiebant pulchra et suavi musica, ut videtur, delectari potius cupiebant, quam exagitari iis affectibus qui e rerum scenicarum discrimine nascebantur ; quod quidem studium simul atque apud omnes vehementius exstitit, cum permulti cantores peritissimi florere cœpissent[1], is unus audientium animorum commovere poterat, qui non tantum bene, ut ita dicam, difficiles cantilenas sed optime difficillimas caneret. Superata difficultas delectationem non mediocrem creabat, qua sine ullo dubio aures audientium novæ musicæ studiosissimorum permulcebantur. Quapropter reperiuntur in personarum cantibus tam multi resoluti dochmii ; nam si rationalis dochmius, ut jam dixi, perceptu difficilis erat, eo difficilior fuisse videtur illa series octo brevium continuarum, neque ullo modo fieri potuit ut rhythmus trium aut quattuor aut quinque resolutorum doch-

[1] Cf Bergk, *Griech Litt.* III.

miorum perciperetur (quod in amœbæo cantu *Helenæ* evenit), nisi is qui eos canebat peritissimus esset.

*
* *

Tabula dochmiorum resolutorum

Apud Æschylum, Sophoclem, Euripidem exstantium.

I. — Apud Æschylum

1. Antistrophici cantus.[1]

a chorus :	18	18
b persona :	0	

II. — Apud Sophoclem

1. Antistrophici cantus.

a chorus :	6	24
b persona :	18	

2. Commatici cantus.

a chorus :	0	0
b persona :	0	

[1] Nullus est apud Æschylum astrophicus neque chori neque personarum cantus.

4

III. — Apud Euripidem

1. Antistrophici cantus.			
a chorus :	22	42	110
b persona :	20		
2. Commatici cantus.			
a chorus :	23	68	
b persona :	45		

De consecutione ∪ ⏝⏝] ⏑́ ⏑ ∪ ∪∪, ∪ ⏑ ⏑ [– ∪ –

Quoniam, ut jam ante dictum est, dochmius maxime varias formas habet, fieri potest, cum uni dochmio hujus formæ ∪ – ∪ ∪ ∪ ∪ ∪ alter semiresolutus succedit, ut eadem exstet brevium syllabarum consecutio atque ea quæ ex uno resoluto aut prope omnino resoluto dochmio fit. Anquirendum est igitur utrum ea consecutio idem, quod ad musicam pertinet, valeat atque ea de qua supra actum est, scilicet utrum

∪ ⏝⏝] ⏝⏝ ∪ ∪ ∪ || ∪ ⏝⏝ [– ∪ –.

idem sit atque

∪ ∪ ∪ ∪ ∪ ∪ ⏝⏝

Primo adspectu eæ consecutiones omnino similes videntur. Nam si dochmiacum pedem resolutum consideramus, nihil aliud primo adspicimus nisi inordinatam consecutionem brevium quæ nequaquam aliæ ab aliis dinoscuntur. Tamen animadvertere oportet majorem minoremve brevium seriem in quolibet alio quoque rhythmo fieri posse.

Non enim raro evenit, præsertim apud Euripidem, nec in scenicis tantum cantilenis, verum etiam in choreutarum canticis, ut tres vel quattuor vel quinque pedes continui adhibeantur omnino resoluti, ita ut ex ea brevium syllabarum serie exstet periodus hujusmodi :

ἐγένετο τέρας ὀλοὸν ὀλοόν[1],
∪∪∪∪ ∪∪ ∪∪∪ ∪∪∪

Non dubium est quin ex his dudoecim brevibus ternæ glomerentur, propterea quod legentis aut canentis vox acrius incumbit insistitque in unam aut aliam, primam scilicet in trochaico, secundam in iambico rhythmo ; quo fit ut, cum ei vocis flexus paribus inter se intervallis sentiantur, brevium globos alium ab alio dividere liceat, itaque ea periodus sic pronuntietur :

ἐγένετο τέρας ὀλοὸν ὀλοόν.
∪∪́∪∪ ∪́∪ ∪∪́∪ ∪∪́∪

At enim interrogare quis poterit quomodo unus vocis flexus satis sit ut complures globi non ternarum jam aut quaternarum, sed octonarum brevium syl-

[1] In *Orestis* v. 999, Vide alia exempla in *Electræ* v. 1178, 79, in *Helenæ* v. 1116, 17, in *Phœniss.* v. 428, in *earundem* v. 1287, in *Iphigeniæ Aulid.* v. 1205, etc. Quod in anapæstico quoque rhythmo evenire potest, quanquam rarius fit. Vide *Iphigeniæ Tauricæ* v. 197. φόνος ἐπὶ φόνῳ, ἄχεά τ' ἄχεσιν.

labarum alii ab aliis dinoscantur? Quod in dochmiaco pede evenit. Licebit respondere pedem dochmiacum, cum longior sit iambico aut trochaico aut anapæstico, non modo unum sed duo vel tres accentus recipere, quorum medius præcipuus, alii, primus scilicet et tertius, inferiores dicuntur.

Præcipuum autem accentum in secunda longa esse

◡ – –̎ ◡ –

ex eo colligere licet quod ea longa perraro resoluta reperitur, cum longa antecedens resoluta non est ; adeo ut rarissima sit hæc dochmii forma :[1]

◡ – ◡́ ◡ ◡ –

Inferiores accentus sunt alter in ultima longa :

◡ – –̎ ◡ –́

alter plerumque in prima brevi, quod manifeste apparet ex eo quod plerique dochmiorum ab acuta syllaba initium capiunt, velut in Euripidis *Hippolyti* versu 871 :

τίνα θροεῖς αὐδάν ; τίνα βοᾷς λόγον ;

nonnunquam etiam, quamvis rarius, in secunda

[1] Vide tamen Æschyli *Septem adversus Thebas* v. 177 : σύ τ' ὦ Διογένες ◡́ – ◡́ ◡ ◡ ◡́ ; Sophoclis *Philoctetæ* 1092, Euripidis *Orestis* 156, 159, *Medeæ* 122, *Baccharum* 982.

syllaba, si ea longa est, quin etiam longa simul et acuta ; vide Aristophanis *Acharn.* versus 567 et 570 :

βοήθησον, ὦ || γοργολόφα, φανείς. ∪ –́ –̋ ∪ –
τειχομάχας ἀνὴρ || βοηθησάτω. ∪ –́ –̋ ∪ –[1]

Itaque in resoluto dochmio non hoc solum videre oportet :

∪ ∪ ∪ ∪ ∪ ∪ ∪ ∪

id est, nihil aliud nisi seriem octo brevium syllabarum quæ nequaquam aliæ ab aliis dinoscuntur, sed :

∪́ ∪ ∪ ∪̋ ∪ ∪ ∪́ ∪

vel :

∪ ∪́ ∪ ∪̋ ∪ ∪ ∪́ ∪,

id est octo brevium consecutionem, quarum quarta plus quam aliæ valet, quia cantoris vox in eam multo acrius incumbit, duæ aliæ, prima scilicet aut secunda et septima, a vicinis quoque dinoscuntur, quia eas vox conspicuas facit, quamvis minus illam quidem quam quartam.

Consideremus nunc eam consecutionem de qua agitur. Si accentum omiserimus, nihil aliud, ut dixi, ante oculos apparebit nisi plures paucio-

[1] Cf. Christ, *Metrik* p. 464.

resve syllabæ aliæ aliis sine ullo ordine implicatæ :

⏑ – ⏖ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏖ ⏖ ⏑ –.

sin autem duo continuos dochmios ita variaverimus, ut dictum est, eæ syllabæ aliæ ab aliis sic dinoscentur :

⏑́ – ⏖́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏖ ⏖́ ⏑ –́.

Ex quo manifestum est illam longarum ,breviumque syllabarum seriem in duas partes esse divisam, uniuscujusque mediam partem præcipuo accentu conspicuam esse, unamquamque autem earum in tres partes discedere, cum in unaquaque inferiores accentus singulas syllabas conspicuas efficiant. Quod accentibus indicamus canentium vocibus expressius dilucidiusque illustrabatur, ita ut eam brevium seriem, cum nihil per se ipsa esset, modi animosam effingerent.

Eam denique brevium consecutionem non idem valere atque unum resolutum dochmium ex eo apparet, quod neque cum iteratis verbis, neque cum monosyllaborum aut saltem brevium verborum serie, neque, exceptis duobus locis[1], cum verbis similiter consonantibus congruit. Quod scimus prope semper evenire, præsertim apud

[1] Vide *Herculis furentis* vv. 876, 1180.

Euripidem, in periodis quæ ex dochmiis resolutis constant.

Ceterum ea consecutio in lyricis tragœdiæ partibus perraro invenitur, et, cum Euripides resolutum dochmium persæpe adhibuerit, ex eo colligere licet tragicos poetas eam de industria vitavisse. Reperiuntur enim duo tantum exempla in Æschyli fabulis, in *Eumenidum* v. 838 :

ἐμὲ παλαι]όφρονα κατά τε [γᾶς οἰκεῖν
∪.∪́ ∪ –̈ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∪́ ∪ –̈ > –́

et in *Septem* v. 213 :

ὅτ' ὀλοᾶς] νιφομένας βρόμος [ἐν πύλαις.
∪́ ∪ ∪ –̈ ∪ ∪́ ∪ > ∪́ ∪ –̈ ∪ –́

Apud Sophoclem nullum exemplum invenitur hujusmodi consecutionis. Denique in Euripidis fabulis sex exempla afferre licet, quod parum est, cum Euripidis septendecim fabulæ exstent et in eis dochmii persæpe adhibiti sint :

In *Hecubæ* v. 189 (quod dubuim est).

In *Herculis furentis* v. 876 :

σὸν ἄνθος] πόλεος, ὁ Διὸς [ἔκγονος,
∪́ – –̈ ∪ ∪́ ∪ ∪́ ∪ ∪ –̈ ∪ –́

in ejusdem v. 1070 :

ἀπόκρυφον] δέμας ὑπὸ μελά[θρων κρύψω,
∪ ∪́ ∪ –̈ ∪ ∪́ ∪ ∪́ ∪ ∪ –̈ > –́

v. 1178 :

ὦ τὸν ἐλαι]οφόφον ὄχθον ἔ[χων [ἄναξ]
∠ ∪ ∪ ∥ ∪ ∪́ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∥ ∪ ∠

v. 1183 :

τεκόμενος] δ'ἔκτανε, φόνιον [αἷμα τλάς.
∪ ∪́ ∪ ∥ ∪ ∪́ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∥ ∪ ∠

v. 1180 :

ἐπάθομεν] πάθεα μέλεα [πρὸς θεῶν.
∪ ∪́ ∪ ∥ ∪ ∪́ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∥ ∪ ∠

in *Hippolyti* v. 853 :

δάκρυσί μοι] βλέφαρα καταχυ[θέντα τέγ. . . . .
∪́ ∪ ∪ ∥ ∪ ∪́ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∥ ∪ ∠

in *Troadum* v. 1289 :

θαρσήσασ'] ἔνεπε τίνα θρο[εῖς αὐδάν[1].
> ∠ ∥ ∪ ∪́ ∪ ∪́ ∪ ∪ ∥ > ∠

[1] Quæ de ea serie brevium quæ ex duobus dochmiis continuis nascitur dicta sunt ad eam quoque pertinent quæ fit ex consecutione alterius pedis, trochaici, ut exemplum proferam, et unius dochmii ; velut in hoc *Phœnissarum* versu (1288) :

(δίδυμα τέκεα πότε)]ρος ἄρα πότερον [αἱμάξει.
∪́ ∪ ∪ ‖ ∪́ ∪ ∪ — ∠ —

De dochmiacis periodis.

In vetere tragœdia, in qua rhythmus maximi, modi autem multo minoris erant momenti, pleræque periodi parum simplices erant; quæ ex membris semper fere constant magnitudine imparibus, et variis modis inter se cohærentibus. Quamobrem quidquid est in eo rhythmo delectationis et jucunditatis a nobis difficillime percipi potest, neque facile potuisset ab ipsis veteribus, nisi illæ periodi variis saltantium motibus essent illustratæ. Compositi gradus motusque et bene ordinati gestus [1] et ea omnia quæ orchestices propria sunt necessaria erant ut quasi lumen adhiberetur longissimis et flexuosis Pindari aut Æschyli strophis. Cum autem modi ditiores et flexibiliores facti sunt, rhythmus pristina dignitate dejectus est, et periodus simplicior in dies evasit, adeo ut colis magnitudine paribus, denique tetrapodiis plerumque constaret. Ceterum non melodia sola periodi simpliciores efficiebantur, sed

[1] V. Plutarch. *Quæst. conv.* IX, 15, 2: φόραι, σχήματα, δείξεις. Cf. apud Kirchhoff, *Die Eurhythmie* : judicium aurium, judicium oculorum.

etiam ea re quod pedes minus puri fiebant. Namque si fieri potest ut metrum iambicum aut trochaicum aut logaœdicum, quanquam cola magnitudine imparia sunt, satis simplex sit, cum omnes aut plerique pedes eandem formam aut saltem formas non omnino inter se dissimiles habeant, facile intelligitur longe aliter esse, cum sinceritas rationalium pedum multum mutetur, præsertim si ei pedes minus simplices quam iambici aut trochaici sint, pæones scilicet, quin etiam dochmii. Quapropter dochmiacæ periodi forma multo simpliciore exstiterunt quam iambicæ aut logaœdicæ, et simplices illæ multo ante quam ceteræ periodi effectæ sunt. Quæ est metricorum scriptorum sententia cum dicunt dochmios ad efficienda dimetra membra aut tetrametra plerumque adhiberi [1], raro autem ad trimetra aut pentametra. Postquam resolutiones crebriores fiebant, poetæ tragici multo libentius adhibuerunt dimetrum quam quodlibet aliud membrum, adeo ut jam a Sophoclis ætate illud longe ceteris præstiterit.

Percenseamus igitur nonnullas Æschyli et Sophoclis et Euripidis dochmiacas periodos, deinde videbimus rhythmicam simplicitatem, quæ usque ad novissimos quinti sæculi annos in dies major facta est, apud Euripidem maximam evasisse.

[1] V. Westphal, *Metrik* 2, p. 774. Cf. Gevaert, *op.* cit. II, p. 226.

I. De dochmiaca periodo Æschylea.

Apud Æschylum, etsi dimetra jam ceteris metris præstant, tamen dochmiacæ periodi quæ ex impari pedum numero constant haud raræ sunt. Trimetra enim aut pentametra in his locis inveniuntur :

In *Supplicum* 346-406 stropha A. Ea stropha e duabus periodis constat quarum prior unum trimetrum dochmiacum habet, quod pæon proodicus præcedit. E dochmiorum forma colligere licet eam periodum antitheticam esse, id est choreutarum saltationi magis accommodatam quam querellis personarum.

1 2 3
⏑ – – ⏑ – | ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ –

In *Septem contra Thebas* 78-181 (stropha A 78-85). Quæ stropha secundum Hermanni divisionem duas periodos habet, quarum prior e quattuor dochmiacis dimetris constat, cum proodico dimetro ; secundum autem Schmidtii scansionem, tres orchesticas periodos continet, quarum prima ex uno proodico pæonico cum uno dochmiaco trimetro constat, altera e duobus dochmiacis dimetris, quorum alterum ab altero distrahitur uno

dochmio, tertia autem e tribus dochmiacis dimetris. Cum locus corruptus sit, difficile est judicium ; tamen e dochmiorum forma, ut videtur, non licet proximam periodum in duo trimetra dividere :

⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ‖ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ‖ ⏑ – – ⏑ – ‖ ⏑ – – ⏑ – ‖ ⏑ ⏖ – ⏑ – ‖ ⏑ ⏖ – ⏑ – ‖;

In *eorundem* vv. 101-102 aliud est trimetrum.

Pentametra autem inveniuntur in ejusdem cantici versibus 110-11-12, 128-29-30.

Inveniuntur trimetra in *Agamemnonis* quoque 1136-37[1], 1144-45, 1154-55 ; 1158-59, 1169-80. Pentametra exstant *in ejusdem* 1164-65-66, 1175-76-77.

Alia trimetra sunt in *Choephoron* 835-36, 946-47, in *Eumenidum* 145-46, 151-52.

Ex his exemplis facile perspicitur trimetrum et pentametrum in Æschyli fabulis rara non esse, et dochmiacas periodos ea simplicitate carere, quæ paulo post major ac major facta est.

Ceterum quælibet periodus non est simplex habenda propter id solum quod nullum aliud membrum nisi dimetra aut tetrametra habet, et, cum dochmii raro meri sint, id est cum dochmii

[1] De respondentibus antistrophæ versibus non licet quidquam contendere, cum versus 1147 strophæ 1137 non accurate respondeat.

cum aliis metris, sive iambicis, sive trochaicis, sive pæonicis misceantur, fieri potest ut dochmiaca periodus simplicitate careat, propter formam aliorum membrorum quæ cum dochmiis miscentur. Non raræ sunt apud Æschylum ejusmodi periodi, quarum nonnullas proferam, quia ad propositum meum præcipue pertinent.

Vide Septem contra Thebas (78-181) stropham 1, per. II. Quæ periodus e tribus [1] dimetris dochmiacis constat quibus quattuor iambicæ pentapodiæ immixtæ sunt. Ea periodus simplicitate caret, et, ut facile intellegitur, saltantium choreutarum cantui aptior est quam personarum cantilenis.

Proferam denique duas *Choephoron* periodos (935-972, Epodos), quarum prior palinodo-antithetica est ; duæ partes quæ inter se respondent e tribus bacchiis, tribus pæonibus et uno dimetro dochmiaco constant ; inter quæ sunt tres tripodiæ trochaicæ. Altera quoque palinodo-antithetica, quanquam paulo simplicior est : duo enim cola inter se respondentia constant singulis trochaicis tetrapodiis ; medium est unum dochmiacum dimetrum :

1 dim. dochmiacum cum una tetrapodia trochaica,
1 dim. dochmiacum.
1 dim. dochmiacum cum una tetrapodia trochaica.

[1] Quattuor secundum J. H. Schmidt, *Die Eurhythmie*, pp. 316-317.

Liceat breviter commemorare quæ supra dicta sunt. Cum personæ in Æschyli fabulis multo minus, quod ad musicam attinet, valeant quam choreutæ, omnes fere dochmiacæ periodi quæ apud eum leguntur canuntur a choreutis. Nil ergo mirum est si eæ periodi, quanquam dochmiaca metra simpliciora in dies facta sunt, pristinam id est orchesticam formam retinuerunt, et si periodi vere simplices, non cujuslibet tantum metri, sed dochmiaci etiam apud eum rarius inveniuntur.

2. De dochmiaca periodo Sophoclea

Sophocles quoque trimetrum aut pentametrum dochmiacum adhibuit, plerumque in choreutarum canticis, nonnunquam in personarum cantilenis. Tamen, quanquam Sophocles novæ musicæ parum studiosus fuit, et, quod ad musicam attinet, Æschylo propior videtur quam Euripidi, in quibusdam ejus fabulis, quas sub finem vitæ composuit, Euripidis auctoritas nonnihil valuit ; quamobrem complures periodi jam apud Sophoclem simpliciores evaserunt. Sunt imprimis notandi hi cantus :

Ajacis 879-960 stropha e quinque periodis constat, quarum tres dochmiacæ sunt : in tertia autem dimetrum est dochmiacum (v. 888) ; trimetrum invenitur in quinta (909-10). Ceterum totus ille cantus, quod ad rythmum pertinet, orchesticus est ; cujus periodi orchesticæ sunt, neque sæpe evenit ut ejusmodi cantus e dochmiis solum constent. Sed ille cantus hyporchema est, qui cum maxime alacris motus sit, metra agitationis plena non rejicit.

In *Œdipi Colonei* 1447-1499 stropha B quattuor periodos habet, quarum prima (1477-78) et ultima (1484-85) ex uno trimetro dochmiaco constant.

Inter cantus ἀπὸ σκηνῆς proferre oportet *Antigonæ* 1261-1347 (commos epirrhematicus Creonis et chori), cujus lyricæ partes a persona peraguntur. Duæ sunt periodi, altera in stropha A, altera in B, quæ e singulis trimetris dochmiacis constant. Sunt apud Sophoclem quoque quædam aliæ periodi quæ, quanquam in iis dimetra sunt, tamen orchesticæ haberi possunt, propterea quod ea simplicitate carent quæ eas periodos, quas melodicas vocare licebit, decet, propter diversitatem membrorum varie inter se cohærentium.

Velut *Antigonæ* 1261-1347 prior periodus ex uno trimetro constat dochmiaco, e duobus pæonibus, ex uno dochmiaco trimetro.

Vide etiam *Philoctetæ* 391-518 ; quæ periodus hæc est :

1 dimetrum dochmiacum,
2 bacchiaca dimetra,
1 dimetrum dochmiacum ;

Œdipi Regis 649-697 quam Schmidt ita divídit :

Chorei 6 + 6 — pæones 3 + 3 — chorei 6 + 6.

Schneidewin contra :

Iamb. 6 — dimetrum dochmiacum + dim. dochmiacum — pæones 3 — iamb. 66.

Schmidtii scansio eurhythmiæ accommodatior esse videtur ; verum difficile est versum 664 non pro dochmiaco dimetro habere.

Animadvertendum est denique *Œdipi Colonei* 1447-1499 Stropham B, quanquam in ea duo dimetra dochmiaca sunt, formam et habitum orchesticum habere. Sunt enim :

I. 1 trimetrum dochmiacum,
II. 2 dimetra dochmiaca,
III. 2 tetrapodiæ iambicæ,
IV. 1 trimetrum dochmiacum.

Hæc stropha antithetica est, quanquam in

duobus membris (II, III) non eadem adhibita sunt metra ; quapropter bene ordinatis saltantium motibus aptissima est, parum accommodata ad exprimendos animorum affectus.

Ergo et eæ periodi quæ ex imparibus membris constant rariores sunt apud Sophoclem quam apud Æschylum, et eæ in quibus miscentur alia membra, sed adeo ut periodi orchesticum habitum retineant.

Dimetra contra plura sunt pro portione in Sophoclis quam in Æschyli tragœdiis. Reperiuntur enim in *Ajacis* 448-427 stropha A, stropha B, in *Antigonæ* 1261-1347 stropha A II, stropha B I, imprimis in ejusdem strophæ ultima periodo, quæ e duodecim dochmiis constat qui bini ordinantur, in *Electræ* 1232-1286 I, quam Schneidewin ita dividit :

⏑ – ⏑ – + 1 dimetrum dochmiacum cum dochmio epodico.

Schmidt autem :

⏑ ⊔ ⏑ – + 1 dimetrum dochmiacum cum dochmio epodico.

Primus autem pes, quocunque modo scanditur, extra metrum habeatur oportet, nec ad ultimum dochmium respondere potest. Itaque vel si Schneidewin iambicam dipodiam dochmium habemus, videtur magis consentaneum esse eam periodum hoc modo dividere :

dochmius proodicus + 1 dim. dochmiacum + dochmius epodicus.

Vide etiam *Œdipi Regis* 650-697 stropham III[1], 1313-1368 (commos est Œdipi et Chori) stropham A :

dochmius proodicus + duo dimetra dochmiaca ;

Stropham B V :

Schmidt : 2 dimetra dochmiaca + 2 dimetra dochmiaca + 2 dimetra dochmiaca cum epodico dochmio ;

Schneidewin : 2 dim. dochmiaca + 2 dim. dochmiaca + 2 dimetra dochmiaca + – ∪ ∪ – ∪ ∪.

Hæ autem periodi a choro non a persona canuntur.

3. De dochmiaca periodo Euripidea.

Ne in Euripideis quidem tragœdiis desunt trimetra dochmiaca ; sed si considerabimus quam multa sint apud Euripidem dochmiaca membra et multo plures ejus quam Æschyli aut Sophoclis fabulas ad nos pervenisse, nemo poterit quin fateatur trimetra aut pentametra apud eum multo rariora esse quam apud Æschylum et ipsum Sophoclem. Eas solum periodos hic recensebo, in

[1] Vv. 656-57.

quibus dochmiorum forma ea est ut nullus dochmiorum, e quibus versus aut colon constat, proodicon aut epodicon haberi possit. Videbimus infra eas periodos quæ talem formam habent, quanquam eis quæ trimetris aut pentametris constant similes primo adspectu sunt, tamen orchesticas non esse habendas, cum musica quo ditior fiebat eo magis ejusmodi periodis faverit ; ideo cantibus motus plenis aptissimæ sunt, non minus quam eæ quæ, cum e dimetris aut tetrametris constant, simplicissimæ, quod ad rhythmum pertinet, esse videntur.

Insunt trimetra in his tragœdiis :

In *Medeæ* 1291-1292 (chorus) comma A. trimetrum dochmiacum + dipodia iambica + dimetrum dochmiacum (?).

Fortasse metiri oportet versum 1291 ut trochaicam pentapodiam, cujus forma hæc est :

∪ | ⌞ | – ∪ | ⌞ | ∪ ∪ ∪ | – ∧ ‖.

Certe quidem hæc periodus accommodatior est chori cantibus quam scenicis cantilenis ;

in *Heraclidarum* 73-110. Iolaus canit, (75-76) :

Comma A : ∪ ∪ ∪ – ∪ – | ∪ ∪ ∪ ∪ ∪ ∪ – | ∪ ∪ ∪ – ∪ –

Ea periodus quam choreutæ canunt (95-96) eandem formam habet [1].

In *Hippolyti* 811-883 (Theseus 831-832) :

1 2 3
⏑ — — ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — | ⏑ — — — —

In *Herculis furentis* 1016–1038 Comma Γ, (1026-1027, chorus) :

1 2 3
⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — | — — — ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ — — — |

In *ejusdem* 1178-1213 Comma Λ (Amphitryo) :

1204-1205 : I. ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ — — —

1210-1211 : II : ⏑ — — ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — | ⏑ — — ⏑ —

In *Ionis* 677-724 Stropha (681-682, chorus) :

⏑ ⏑⏑ — ⏑ — | ⏑ — — ⏑ — | ⏑ ⏑⏑ — ⏑ —

Vide *ejusdem* 766–799 comma B (768-768, Creusa) :

⏑ — — ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ — | ⏑ — — ⏑ —

[1] Commaticusne an antistrophicus sit is cantus difficile est dijudicare, quippe in quo quædam commata adeo similia sint, ut stropha et antistropha haberi possint. Vide Schmidt, *Die Monodien und Wechselgesänge*, p. CLXXX (nota).

et comma Δ (776-777, Creusa) :

⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑⏑ | ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ | ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –

Phœnissarum 301-354 (335-336 Jocaste) :

⏑⏑⏑ – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ – | ⏑⏑⏑ – ⏑ –

Pentametra sunt in *Hippolyti* 811-884 (Chorus) vv. 814, 15, 16. ; ea periodus mesodica habenda est propter dochmiorum formam :

⏑⏑⏑ – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ – | ⏑ – ⏑⏑⏑ – | ⏑⏑⏑ – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ –

in *ejusdem* 831, 12, 13 (Theseus), in *Herculis furentis* 1042, 43, 44 (Amphitryo).

Eæ autem periodi quæ, quanquam e dimetris constant, tamen orchesticæ haberi debent propter allœometrica metra quibus dochmii admixti sunt, apud Euripidem adeo raræ sunt ut duo aut tres vix reperiri possint. Ejusmodi sunt in *Electræ* 1167-1154, quæ periodus palinodo-antithetica est, et ea quidem forma quæ saltantium motus deceat, in *Baccharum* 977-1023 (str. II), quæ est antithetica et tam varia ut ejusmodi periodi apud Euripidem rarissimæ sint. Ceterum neminem fugit in *Bacchis* eum plus quam in qualibet tragœdiarum suarum ad veterem

poetarum rationem revertisse, et nonnulla in ea fabula esse cantica quæ vel Æschyli et ipsius Pindari strophis varietate vix superentur [1]. Præter has tres periodos nulla est inter septendecim Euripidis fabulas cujus eadem forma sit, quod quidem parum est.

Dimetra contra creberrima sunt, adeo ut in universum æstimanti colligere liceat dimetrum ab Euripide præter cetera cola adhiberi.

Considerabimus primum eas periodos quæ ex uno aut pluribus dimetris constant, dein eas in quibus allœometrica membra cum dochmiis permixta sunt.

1. Illæ sunt apud Euripidem creberrimæ. Inveniuntur ejusmodi in *Andromachæ* (825-865) amœbæo cantu Hermionis et Nutricis, in commate E, et in commate Z, per. II; in *Hippolyti* (362-372 = 669-679) antistrophico cantu, cujus stropha a choreutis, antistropha autem a nutrice canitur [2], in ejusdem commo chori et Thesei (811-884), in quo dochmii canuntur a Theseo, in strophæ B versibus 817, 818, 821, 822, 826, 827, quibus ea adjicere oportet quæ in antistropha illis respondent, in *Herculis furentis* (875-921) commatico chori cantico nuntii trime-

[1] **Vide inter alia exempla longas ionicas strophas quæ sunt in parodo.**

[2] **Dimetra dochmiaca sunt in periodis II, IV, V.**

tris interrupto [1], in *ejusdem* commatico chori cantico (1016-1038) [2], in *ejusdem* (1042-1035) commo chori et Amphitryonis [3], in *ejusdem* amœbæo cantu Amphitryonis et Thesei, qui est astrophicus (1178-1213) [4], in *Ionis* antistrophico chori cantico (677-724)[5], in *ejusdem* amœbæo cantu Creusæ et Pædagogi et chori (763-799), qui est commaticus[6], in ejusdem amœbæo cantu Creusæ et Ionis commatico (1439-1509)[7], in commatico*Helenæ* amœbæo cantu (625-697)[8], in *Phœnissarum* amœbæo cantu Antigonæ et Pædagogi (103-192)[9], in *Orestis* antistrophico cantu Chori et Electræ (140-207) [10], in ejudem amœbæo cantu Electræ et Helenæ (1246-1310) [11], cujus prior pars antistrophica, altera commatica est, in *Baccharum* antistrophico chori cantico (967-1023) [12].

[1] Tria dochmiaca dimetra sunt in Comm. Γ per. I.

[2] Cujus comma B tria habet dimetra, unum autem comma E per. I.

[3] Vide versus 1045-46, 1070-71.

[4] Vv. 1178, 1180, 1182-83.

[5] Vv. 683-84,690. Quattuor sunt dochmiaca dimetra in epodo : vv. 714-15, 719-20.

[6] Vv. 763-64, 796-97.

[7] Vv. 1445, 1474: quæ periodi e singulis dimetris constant; 1443, 44, 45, (secundum Schmidt divisionem); 1460-61.

[8] Vv. 661-62, 673-74, 682, 686-83.

[9] Vv. 127 (?), 182-87.

[10] In stropha A terna dimetra sunt in versibus 149, 50, 51; vide etiam in stropha B versus 166, 180, 185-86 (adhibita correctione quam Weil proponit, p. 700, N. C. ad versum 185)

[11] Vv. 1249-50, 1268-69, 1289-90, 1308, 09, 10.

[12] Prima strophæ periodus duo dimetra habet, 977-78.

2. — Allœometra quæ cum dochmiacis dimetris permixta sunt plerumque paria sunt magnitudine, sive dipodiæ, sive hexapodiæ, imprimis tetrapodiæ, multo rariores sunt tripodiæ et pentapodiæ.

a. — Proferre licebit *Hippolyti* commaticum chori canticum (1268-1282)[1], *Troadum* amœbæum cantum Hecubæ et Talthybii, qui est commaticus (239-291)[2], *Iphigeniæ Tauricæ* amœbæum cantum Iphigeniæ et Orestis commaticum (827-899)[3] et *Phœnissarum* amœbæum cantum Antigonæ et Pædagogi, qui est astrophicus (103-192)[4].

[1] Nauck : dimetrum dochmiacum + 6 + dimetrum dochmiacum + 6 J-H. Schmidt : dim. dochm. + 3. 3 + dim. dochm. + 6 epodicon.

[2] Comma B, vv. 241-42 : 5 + dim. dochmiacum.
Commata K, vv. 265-66 : dim. dochm. + 3, 4.
Commata M et N, vv. 271-72, 275-76 : 2. 5 + dim. dochmiacum.

[3] Vv. 847, 48, 49; Schmidt ita dividit :
Comma Γ : 5 + trim. dochm. + 3 + dim. dochmiacum.
Weil autem :
dim. dochm. + (trim. iamb.) + 1 dochmius (trim. iamb)
dim. dochm. + 3 + dim. dochmiacum.
Quocunque modo eam periodum dividimus, orchestica est et eo magis conspicua, quod in cantu est cujus pleræque periodi simplicissimo rhythmo sunt. In omnibus enim pæne periodis dochmii bini ordinantur. Vide ejusdem cantus comma Z H, quæ periodus e duabus partibus constat, quarum quæque unam iambicam tripodiam habet, cum uno dochmiaco-trimetro.

[4] Vv. 186-189 : dim. dochmiacum + 3 bacchii + dim. doch + dochmius + creticus.

b. — In plerisque harum periodorum allœometricum κῶλον, sive tetrapodia sive hexapodia cum dochmio aut cum dochmiaco dimetro conjunctum haberi potest, ita ut versus e duabus variis partibus constet ; quo fit ut periodus simplex sit, non solum quia e membris magnitudine paribus constat, sed etiam quia, cum duo sint, fit metrum, ut musici nostræ ætatis dicunt, « quadratum ». Itaque, cum in eis periodis quas supra memoravimus rhythmica simplicitas non magna sit, propterea quod cum dimetris dochmiacis membra quædam permixta sunt, quæ cum neque inter se neque cum dimetris magnitudine paria sint orchesticæ ejusmodi periodi dici possunt, in alteris contra simplicitas tanta est quanta in eis quæ e dimetris aut e tetrametris solum constant.

Ejusmodi periodi reperiuntur in *Alcestidis* (393-415) antistrophica Eumeli monodia [1], in *Herculis furentis* (875-921) commatio chori cantico quod nuntii trimetris interrumpitur. Comma H e tribus partibus constat, quæ singulas trimetri partes, quæ a nuntio dicuntur, unam iambicam dipodiam et unum dochmium habent qui a choreutis canuntur. Quantacunque est varietas ele-

[1] Per. II (3994-97) :

4 iamb. + 1 dochmius + 4 iamb + 1 dochmius



mentorum quæ ad efficiendum hoc comma conferuntur, tamen illa periodus motu certo et æquabili est, et, propterea quod tres partes omnino similes iterantur, magna in ea inest simplicitas. Fieri enim potest, et sæpissime revera evenit, ut elementa e quibus ejusmodi periodi constant, quanquam minime sunt simplicia, nihil de periodi simplicitate detrahant, et, ut ita dicam, quod inæquabile est in partibus æquabile fiat iteratione[1]. Proferamus *Ionis* quoque (1439-1509)[2] amœbæum cantum Creusæ et Ionis, qui est commaticus, *Troadum* (239-291)[3] amœbæum cantum (astrophicum et ipsum) Hecubæ et Talthybii, *earundem* (308-340)[4] antistrophicam Cassandræ monodiam, *Electræ* (585-595)[5] astrophicum

[1] Croiset, *Pindare*, p. 35. Cf Christ, *Metrik*, p. 449.

[2] Comma Z, vv. 1463-67 : duo sunt periodi, quarum secunda ita dividi potest :

2 bacchii + 6 iamb. + dimetrum dochmiacum.

[3] Vv. 283-288 :

hexapodia trochaica + dimetrum dochmiacum ;
tetrapodia iambica ;
hexapodia trochaica + dimetrum dochmiacum.
tetrapodia iambica.

In versu 288 Dindorf et Schmidt scribunt :

γοᾶσθέ, μ'. ὦ Τρῳάδες, βέβακα. . .

Kirchhoff autem et Nauck :

γοᾶσθ' ὦ Τρῳάδες, με.
βέβακα. . .

[4] 2 troch. tetrapodiæ + dim. dochmiacum + 2 troch. tetrapodiæ.

[5] Secundum Weil :

dim. dochmiacum + 4 + dim. dochmiacum + 4 ;
dim. dochmiacum ;
1 dochmius + 4 + 1 dochmius + tria dimetra dochmiaea.

chori canticum, *ejusdem* (447-471) commaticum chori canticum Clytæmestræ trimetris interruptum. Unica strophæ periodus e duabus partibus constat quæ singula dochmiaca dimetra habent cum singulis iambicis tetrapodiis ; inter duas partes unum dimetrum dochmiacum interest. Iambica autem tetrapodia, quæ duas partes dochmiacas sejungit, mesodicon est, quod in eo loco non idem valere videtur quod plerumque. Cum enim Clytæmestræ trimetra chori cantum bis interrumpant, oportet utrumque dochmiacum membrum per se ipsum valeat. Quam dispositionem in longiore et multo minus simplici *Troadum* periodo inveniemus. Liceat denique referre *Baccharum* (977-1023) chori canticum [1].

[1] 2 bacchiaca dim + 1 dim. dochmiacum
2 bacchiaca dim + 1 dim. dochmiacum
vel forsan :
2 bacchii — 2 bacchii
3 dimetra dochmiaca,
si Nauckii dispositionem sequemur suppresso tamen θανάσιμον.

De proodicis et epodicis periodis

Ex iis quæ supra dicta sunt colligere licet dochmiaca trimetra (et pentametra) satis multa apud Æschylum esse, rarius autem in dies esse adhibita, adeo ut in tragœdiis quæ postremis quinti sæculi annis scriptæ sunt omnes fere dochmiacæ periodi e dimetris constent. Nulla fere alia membra nisi dimetra reperiuntur in cantibus novissimarum Euripidis fabularum. Ceterum non in dochmiacis tantum cantibus ea simplicitas apparet, sed etiam, ut jam diximus, in plerisque periodorum quæ vel a choreutis vel a personis canuntur. Non est difficile ostendere plerasque vel logaœdicarum vel iambicarum vel trochaicarum periodorum quæ apud Æschylum et apud ipsum Sophoclem simplicitate carent, quia in iis imparia magnitudine et paria membra variis modis mixta sunt, apud Euripidem multo simpliciores esse. Satis enim inter omnes constat pleraque Euripidis cantica e tetrapodiis juxta positis constare[1], quanquam ea lex non summa est,

[1] Croiset. *Hist. de la Littér. Grecque*, III, p. 349.

cum sub finem vitæ Euripides ad Æschyli rationem in ordinandis periodis reverterit.

De industria omisi quasdam dochmiacas periodos quæ, quanquam primo adspectu e trimetris aut pentametris constare videntur, tamen, si eas diligentius considerabimus, inter eas quæ e dimetris constant reponi debebunt. Neminem fugit multas periodos binis aut quaternis aut pluribus membris conjunctis constare, quibus membris sive in initio sive in fine unum membrum proodicon aut epodicon adjungitur. Cujusmodi periodi proodicæ et epodicæ dicuntur.

De quibus pauca præmonere licebit, quo facilius intellegatur qua de causa eas potius inter periodos melodicas quas vocavi referam. Periodi quæ e membris magnitudine paribus constant ab eis in quibus miscentur paria et imparia membra eo dinoscuntur quod hæ choreutarum saltationi aptiores sunt, illæ ad exprimendos personarum affectus. Cum autem orchestica varietas eo minor exstiterit quo saltantium motus minoris momenti erant et modi majores in tragœdiæ cantibus partes suscipiebant, contendere licet tragicos poetas illas periodos potissimum adhibuisse quia eis affectibus quos volebant exprimere magis idoneæ videbantur. Quæ conjectura eo confirmatur quod idem in musica nostræ ætatis evenit, in qua rhythmus plerumque sine ulla varietate est,

melodia autem ditior reperitur. Verum in nostra musica, quanquam, ut iterum dicam, rhythmus prope nihil est, tamen periodi non semper e binis aut pluribus membris constant inter se paribus, neque raro evenit ut unum membrum vel longius vel brevius quam alia sive in initio sit sive in fine periodi. Quod cum vel in musica Graecorum exstiterit, in qua epodicæ aut proodicæ periodi magis ac magis sunt adhibitæ, colligere licet eas, quanquam minus simplices sunt quam periodi quæ binis aut quaternis membris constant tamen non ad choreutarum saltationem sed ad personarum querellas esse accommodatas. Si quis interrogaverit quid valeant epodicon aut proodicon in ejusmodi periodis, respondere licebit, cum nonnullae sint periodi longiores et in iis, quod ad melodiam attinet, elementa satis varia appareant, necesse esse rerum caput aut in initio prænuntietur aut in fine recolligatur [1]. Ceterum de epodico hoc quoque notandum est: si reputaverimus poetam modos adhibuisse eo dramatis momento quo personarum affectus vehementissimi essent, existimare oportet eum personis suis periodos agitationis plenissimas tribuisse. Varia autem momenta cujuslibet animi affectus eo dinoscuntur, quod, cum vehementissima primo exstiterint, brevi

[1] Vide *Œdipi Colonei* 841-43.

tranquilliora fiant, adeo ut in demissionem quandam et abjectionem desinant. Prima pars epodicæ periodi affectus progressionem, secunda autem regressionem, tertia denique ejus abjectionem aptissime exprimunt. Itaque quanquam, ut vera dicam, saltantibus choreutis non omnino denegantur, tamen eas orchesticas haberi non licet; melodicæ certe sunt et ad exprimendos animorum affectus haud minus aptæ quam eæ quæ e paribus membris constant. Ceterum omnia quæ dicta sunt eo confirmare licet quod plerumque in cantibus quorum actor scenicus particeps est (in quibus multo plures sunt quæ a persona quam quæ a choreutis canuntur), præsertim in amœbæis cantibus aut in monodiis reperiuntur. Quæ causa est cur eas separatim considerare placuerit.

Earum periodorum formam non est difficile percipere, si ex iambis aut trochæis constant; licet enim e membrorum forma cognoscere num unum ex his membris proodicon aut epodicon haberi possit. Satis est enim duobus membris magnitudine paribus tertium membrum vel longius vel brevius esse adjunctum. Velut in hac *Medeæ* periodo (410-445, str. B, II), quæ e tribus membris constat, non dubium est quin tertium epodicon habendum sit :

κοίτας ὀλέσασα λέκτρον, ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | ⊔ | – ∧ || 4
τάλαινα, φυγὰς δὲ χώρας ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | — | – ∧ || 4
ἄτιμος ἐλαύνει. ⏑ | – ⏑ ⏑ | — | – ∧ || 3

Idem fit in *Orestis* (307-343) epodo.

τίς νόσος ἢ τίνα δάκρυα καὶ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ∧ || 4
τίς ἔλεος μείζων κατὰ γᾶν – ⏑ ⏑ | – > | – ⏑ ⏑ | – ∧ || 4
ἢ ματροκτόνον αἷμα χειρὶ θέσθαι ; – ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | ⊔ | – ∧ || 6

In priore periodo duo conjuncta membra tetrapodiæ sunt, tertium est tripodia ; in altera duo membra quæ inter se conjuncta sunt tetrapodiæ sunt, tertium vero hexapodia. Quid valeat membrum quod cum reliquis non est conjunctum eo quod brevius aut longius est quam reliqua manifeste apparet.

Eo magis tertium membrum epodicon aut proodicon habendum est, si ejus quod est inter illud et reliqua dissimilitudo e verbis quoque apparet. Quod fit in hoc *Medeæ* loco :

ἔκλυον φωνάν, ἔκλυον δὲ βοὰν ⏑ ⏑ | – – | – || ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ∧ || 2-2
τῆς δυστάνου. ⊔ | ⊔ | ⊔ | ⊔ || 4

Res autem aliter se habet et majoris est laboris in iis periodis quæ e compluribus dochmiis constant, quos licet habere seu trimetrum seu penta–

[1] De hoc loco vide Gevaert, *Hist. de la Musique*, II, p. 71.

metrum efficientes. Tamen plerumque poeta proodicum aut epodicum dochmium modice dissimilem effecit eorum qui inter se conjuncti haberi debent. Si enim, ut exemplum, afferam, periodum dochmiacam habemus hujusmodi :

⏑ – – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ – || ⏑ – – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ – || ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ –

non dubium est quattuor primos dochmios unum tetrametrum aut duo dimetra efficere, quintum autem totius periodi epodicon esse. Quod quidem in aliis periodis evenit in dochmiacis quoque fieri potest, ut poeta nonnunquam eam similitudinem quæ ad metricam pertinet iteratis aut similibus verbis majorem reddat : Quod fit in *Œdipi Colonei* cantico (833-886) :

προβᾶθ' ὧδε, βᾶ|τε βᾶτ' ἔντοποι·
πόλις ἀναίρεται, | πόλις ἐμὰ σθένει·
προβᾶθ' ὧδέ μοι.

ἰὼ πᾶς λεώς, | ἰὼ γᾶς πρόμοι,
μόλετε σὺν τάχει, | μόλετ' ἐπεὶ πέραν
περῶσ' οἵδε δή.

⏑ – – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ – ||
⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – ||
⏑ – – ⏑ – .

Item *Iphigeniæ Tauricæ* 827-899. (Comma Γ).

χάριν ἔχω ζοᾶς, | χάριν ἔχω τροφᾶς,
ὅτι μοι συνομαίμονα. . . . .

⏑⏑⏑ – ⏑ – || ⏑⏑⏑ – ⏑ – ||
⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ∧.

Eo facilius est in hac periodo epodicon discernere, quod id membrum dochmiacum non est.

Propter similitudinem duorum membrorum quæ sunt inter se conjuncta, hanc periodum amœbæi cantus Helenæ et Menelai epodicam, non mesodicam [1], dicemus :

Οὐκ ἐπὶ λέκτρα βαρ|βάρου νεανία,
πετομένας κώπας, | πετωμένου δ'ἔρω-
τος ἀδίκων γάμων.

Ex iteratis verbis πετομένας πετομένου apparet hos dochmios in unum dimetrum conjungere oportere, et verisimile est melodiam quoque in duabus membri partibus prope similem fuisse. In ejusmodi autem periodis epodicum membrum sive verbis sive dochmii forma colorem habitumque totius versus efficit.

Hanc contra periodum ejusdem cantus antitheticam habere oportet, propterea quod primus et tertius dochmii iterata verba continent et ejusdem formæ sunt :

Comma Φ :

ἄγαμος ἄτεκνος, ὦ | πόσι. καταστένει | γάμον ἄγαμον ἐμόν.
◡ ◡◡ ◡◡ ◡ — || ◡ ◡◡ — ◡ — || ◡ ◡◡ ◡◡ ◡ —

Considerabimus primum eas periodos quæ e sin-

[1] *Helenæ* 666-68. V. J.-H. Schmidt, *Die Monodien*, p. CXXVI.

gulis aut binis dimetris constant cum allœometrico proodico aut epodico, deinde eas quarum proodicon aut epodicon dochmiacum est.

1. — De periodis quarum allœometricum est proodicon aut epodicon.

a. Apud Æschylum.

Hæ periodi apud Æschylum sæpius quam ceteræ adhibentur. Inveniuntur in *Supplicum* 346-406 stropha B., in qua prima periodus ex uno dimetro constat cum pæonico proodico[1], stropha Γ[2], in qua periodo notanda est ea forma quam supra diximus : duo dochmii qui inter se conjuncti sunt verbis similiter consonantibus constant :

v. 404 : ἄδικα μὲν κακοῖς, ὅσια δ'ἐννόμοις ;

ex quo apparet jam ab Æschyli ætate musicam auctoritatem quandam in eligendis verbis habuisse, quod quidem sæpissime apud Euripidem evenit, imprimis, ut dictum est, in novissimis illius tragœdiis, plerumque in personarum cantilenis, rarius autem in choreutarum canticis[3]. Vide etiam

[1] Vv. 370-71 ; 381-82 Pæonicum metrum sæpissime cum dochmiis miscetur ; cf. Westphal, Christ, Seidler, etc.

[2] 4 dochmiaca dimetra + epodicon logaœdicum, vv. 392-96 ; 402-06.

[3] Vide apud Æschylum exemplum inter omnia conspicuum in *Persarum* 547-597 stropha et antistropha AA'.

earundem 739-759 stropham B[1], *Septem adversus Thebas* 204-241 B[2], 686-708 A[3], B[4], *Agamemnonis* 1072-1177,[5] *Eumenidum* 808-880 stropham B, per. III[6].

Proodicum autem membrum non semper in prima strophæ aut commatis periodo est, neque epodicon in ultima; utrumque medium esse potest. Unaquæque enim periodus, cum per se ipsa valeat, et, quod ad musicam pertinet, ceteris soluta esse possit, proodicon aut epodicon haberi potest, quemcunque locum in stropha aut in commate obtinet[7].

b. Apud Sophoclem.

Rariores sunt apud Sophoclem ejusmodi periodi. Inveniuntur in *Electræ* 1384-1397[8], cujus prima periodus ex uno dimetro dochmiaco cum pæonico proodico constat, in *Œdipi Colonei*

[1] Vv. 749-51 ; 757-59 ; 2 dochmiaca dimetra + epodicon logaœdicum.

[2] Vv. 219-22 ; 226-29 ; tria dochmiaca dimetra + tetrapodia iambica, epodicon.

[3] Vv. 686-88 ; 692-94 : 2 dimetra dochmiaca + tetrapodia logaœdica, epodicon.

[4] Vv. 698-701 ; 705-708 : 3 dimetra dochmiaca + pherecrateus epodicon.

[5] Vv. 1090-91 ; 1095-96 : 1 dimetrum dochmiacum + tetrapodia iambica, epodicon.

[6] Vv. 844-46 ; 878-80 : proodicon : logaœdica tetrapodia + 2 dochmiaca dimetra (?).

[7] Vide J. H. Schmidt, *Die Eurhythmie*, p. 268.

[8] Vv. 1384-85 ; 1391-92.

146–1449 stropha A per III[1], in *Antigonæ* 1261–1347 A[2].

c. Apud Euripidem.

Euripidis (proferemus *Audromachæ* 825-865 Comma E[3], *Hecubæ* 1023-1034[4], *Herculis furentis* 1042-1085 Comma Z[5], Troadum 239-271 comma Ξ[6], in quo duæ periodi sunt quæ ex una tetrapodia proodica cum uno dochmiaco dimetro constant ; ceterum si totum comma unam periodum efficiens considerare placebit, quanquam primo adspectu ea periodus minus simplex videtur, quia in ea varia elementa mixta sunt, tamen nil obstat quin melodica habeatur : unumquodque enim elementorum quæ inter se conjuncta sunt ex uno dochmiaco dimetro constat cum iambico proodico ; inter dua membra una iambica tetrapodia interest ; tota periodus habet unam hexapodiam iambicam quæ summæ epodicon est. Sunt aliæ proodicæ aut proodicæ periodi in

[1] Vv. 1455-56 ; 1470-71 : dim. dochmiacum + pherecrateus, epodicon.

[2] Vv. 1275-76 ; 1299-1300 : hexapodia iambica + dimetrum dochmiacum.

[3] Vv. 841-43 : proodicon logaœdicum + 2 dimetra dochmiaca (?)

[4] Vv. 1025-31 (Weil) : 4 dimetra dochmiaca cum iambica tetrapodia epodico.

[5] Vv. 1069-71 : proodicon : iambica hexapodia + 2 dim. dochmiaca.

[6] Vv. 286-87.

Troadum 1219-1239 commate B[1], in *Electræ* 1147-1171 stropha[2], in *Helenæ* 625-697 commate B, commate Δ[3], in *Iphigeniæ Tauricæ* 827-899 commate A, commate Z[4], in *Phœnissarum* 291-300 stropha, per. II[5].

In omnibus autem periodis quas protulimus magna inest simplicitas, quia proodica et epodica e paribus membris constant.

2. — De dochmiacis periodis in quibus proodicon et epodicon dochmiaca sunt.

Ejusmodi periodi rariores sunt apud Æschylum, vel apud Sophoclem, sæpissime autem in Euripidis fabulis inveniuntur.

a. Apud Æschylum.

Nullæ fere aliæ sunt apud Æschylum ejusmodi periodi nisi in *Agamemnonis* 1072-1177 stropha et antistropha sexta[6], in *Choephoron* 935-972

[1] Vv. 1227-28 : tetrapodia iambica + dimetrum dochmiacum.

[2] Vv. 1147-49, 1152-54 ; vv. 1157-59, 1160-62. Unaquæque earum periodorum hac forma est : 2 dim. dochmiaca + tetrapodia iambica, epodicon.

[3] Vv. 634-35 : dim dochmiacum + tetrapodia iambica epod. Vv. 644-45 : tetrapodia logaœdica + dim. dochmiacum.

[4] Vv. 828-30 : 4 logaœd, + dim. dochmiacum.

[5] Vv. 856-61 : tria dochmiaca dimetra + tetrapodia iambica. Vv. 297-98 : ⏑ ⊔ ⏑ – + dim. dochmiacum + hexapodia epodica.

[6] Vv. 1144-45 ; 1154-55.

stropha (per. III)[1], in *Eumenidum* 143-178 et 778-848[2].

b. Apud Sophoclem.

Non multo plures sunt apud Sophoclem, cujus in fabulis hæ solæ reperiuntur, in *Antigonæ* 1261-1347[3], in *Philoctetæ* 391-518 per. III[4], in *Electræ* 1232-1286 per. I[5], quam Schmidt ita dividit :

◡ ⊔ ◡ – + dimetrum dochmiacum + dochmius, Schneidewin autem :

◡ – ◡ – + dimetrum dochmiacum + dochmius, epodicon.

Notandæ sunt *Electræ* quoque 1384-1397 secunda periodus (1387-88, 1394-95), in qua dochmii 2 et 3, cum ejusdem formæ sint, in unum dimetrum conjungere licet, *Œdipi Regis* 1313-1368 strophæ A et B[6], *Œdipi Colonei* 833-886 II, de qua periodo jam dictum est, quæ exemplar et quasi archetypum ejusmodi periodorum habenda est[7].

[1] Vv. 941-45 ; 951-54 (?).

[2] Vv. 145-46 ; 151-52 ; 844-46, 878-80.

[3] Stropha et Antistropha A' : 1261-62, 1284-85 ; 1268-69, 1291-92 ; Stropha et Antistropha B' : 1310-11, 1332-33.

[4] Vv. 400-402, 516-518.

[5] Vv. 1232-34, 1253-55.

[6] Stropha et Antistropha AA' : 1313-14, 1321-22 ; str. et antistropha BB' : 1340-46, 1360-66 : tria dochmiaca dimetra + dochmius, epodicon.

[7] Vv. 841-43, 884-86. Vide supra, p. 82.

c. Apud Euripidem.

Euripidis proferam *Medeæ* 1275-76, 1286-87 [1], *Andromachæ* 825-865 [2], *Heraclidarum* 73-110 [3], *Hecubæ* 681-721 [4], *Herculis furentis* 1042-1085 comma A per. I [5], *Ionis* 677-724 stropham per. I [6], *ejusdem* 733-799 [7], 1439-1509 comma H [8], *Supplicum* 1072-1079, commata B et Γ [9], *Troadum* 289-291 [10], in quo cantu duæ sunt ejusmodi periodi; *earundem* 308-340, stropham [11], et 1216-1239 comma A [12]; *Electræ* 1147-1171 epodum [13]. Proferre *Helenæ* quoque oportet 625-697; in hoc amœbæo cantu, qui est inter longis-

[1] Vv. 1256-57; 1275-76.

[2] Comma H, Vv. 854-858: proodicon, dochmius resolutus + 3 dim. dochmiaca.

[3] Vv. 86-87: proodicon, dochmius resolutus + dim. dochmiacum; Vv. 107-108: id.

[4] Vv. 690-92, 693-97, 690-700.

[5] Vv. 1042-44, Amphitryo: 2 dim. dochmiaca + dochmius epodicon. Secunda ejus commatis periodus, quæ a choro canitur, palinodica est.

[6] Vv, 676-779: proodicon, duo bacchii + 2 dim. dochmiaca dochmius, epodicon.

[7] Vv. 789-91 (?): proodicon, dochmius + 2 dim. dohmiaca.

[8] v. 1470 (?): dimetrum dochmiacum + dochmius, epodicon.

[9] Comma B, Vv. 1073-75: dochmius proodicus + dim. doch miacum; Comma Γ, vv. 1077-79: Proodicon: ⏑⏑⏑ — + 2 dim. dochmiaca.

[10] Commata Γ et Δ et vv., 244-45; 247-48: epodicon, dochmius + dim. dochmiacum.

[11] Vv. 308-309; 325-26; in qua periodo forma periodi non e dochmiorum forma, sed e similitudine verborum apparet: dochmiacum dimetrum + dochmius epodicus.

[12] Vv. 1216-1218.

[13] Vv. 1169-1171.

simos dochmiacos Euripidis octo haud minus ejusmodi periodi reperiuntur, quæ sunt in commatis E (bis), Z, A, M, E, Ξ, Σ [1]; *Iphigeniæ Tauricæ* 827-899 [2], *Phœnissarum* 103-192 [3].

Ex his exemplis licet animadvertere eam periodi formam sæpius in dies esse adhibitam, et ceteris adeo antepositam esse ut in quibusdam fabulis ii cantus in quibus dochmii ceteris metris præstant, pleræque periodi eam formam habeant. Si vero notamus in iis cantibus qui prolati sunt dochmiacum pedem ideo esse adhibitum ut vehementissimam mentis commotionem exprimeret, inde concludere licebit eam simplicitatem dochmiacarum periodorum, quæ major in dies facta est, cum majore in melodia varietate et mobilitate congruere; non enim jam rhythmo, ut Æschyli temporibus, sed modis poetæ varios animorum motus affectusque exprimere solent.

Nonnullæ aliæ ejusmodi periodi reperiuntur in *Orestis* vv. 1305-6, ut corrigit Weil et dividit :

τὰν λιποπάτορα λιπόγαμόν θ' ἃ πλείστους
ἔκανεν Ἑλλάνων

in *ejusdem* 1452-54, 1537-39 [4].

[1] Vv. 648-49; 650-51; 654-655; 667-68; 670-71; 677-77; 694-85; 694-97. Duæ tantum periodi proodicæ sunt, ceteræ epodicæ.
[2] Vv. 839-40: 869-72; 890-91; 898-99.
[3] Vv. 114-116; 156-157.
[4] 1 Dochmius epodicus + 2 dim. dochmiaca.

De rhythmica simplicitate

Breviter colligamus quomodo dochmiaca periodus a postremis sexti sæculi annis usque ad Euripidis ætatem paulatim mutata sit. Quanquam in iis fabulis quæ ad nos pervenerunt trimetrum et pentametrum membrum rarius sunt adhibita, tamen satis multa apud Æschylum et apud ipsum Sophoclem inveniuntur, paucissima autem apud Euripidem, si respicimus nos septendecim ejus fabulas habere, et apud eum dochmios multo plures esse quam apud Æschylum aut apud Sophoclem. Dimetrum autem et tetrametrum sæpius ac sæpius adhibita sunt, adeo ut sub finem Euripidis vitæ membra magnitudine paria semper fere inveniantur. Imparia autem membra minus ac minus sæpe adhibita sunt, quo rhythmus in quolibet cantu, sive trochaico sive iambico simplicior factus est.

In eis enim fabulis quas Euripides inter annos 430 (*Andromache* 430-424) et 415 composuit, simpliciores sunt vel choreutarum cantica; pleræque epodi quæ in iis tragœdiis reperiuntur e periodis constant quarum omnia fere membra pa-

ria sunt, imprimis tetrapodiæ. In ceteris tragœdiis (ab anno 415 ad annum 406) poeta ad orchesticam componendi rationem Æschyli vel Sophoclis revertisse videtur ; nonnulli quidem cantus (*Baccharum* præsertim) pulcherrimis ipsius Æschyli canticis, quod ad rhythmicam varietatem attinet, vix superantur ; sed multæ earum cantilenarum quæ ex imparibus commatis constant et, ad summam, ii cantus quorum personæ aliquam partem canunt eam simplicitatem retinuerunt quæ quasi certa lex facta erat et e ditiore melodia evaserat. Jam de rhythmo actum est et de iis longis et maxime variis periodis quibus Æschylus et lyrici poetæ saltantium motus et animorum affectus exprimere solebant. Chorus enim adeo jam obscuratus est, ut prope nullus sit, persona autem spectantium studia prope sola usurpavit, cujus ut affectus exprimat poeta modis, non rhythmo, utitur.

Forsitan non satis sit dicere metrum dochmiacum simul cum ceteris metris simplicius esse factum. Nonne licet longius progredientem contendere ejus metri majorem in dies simplicitatem causam esse cur cetera simpliciora evaserint? Cum enim multa metra (ionicum, ut exemplum proferamus) [1], quibus primi tragici poetæ sæpissime usi

[1] Vide Croiset., *Litt. Grecque*, III, p. 145.

erant, paulatim repudiata essent, quædam alia sæpius ac sæpius sunt adhibita. Inter quæ rhythmus dochmiacus, cujus ethos novæ tragœdiæ aptissimum erat et personarum cantilenas maxime decebat, is est quo poetæ libentissime utuntur Quod metrum, ut supra diximus, vel cum simplicissimum est, percipere difficile est, eoque difficilius quo melodia quam subsequitur minus simplex est et animorum motus quos exprimere vult vehementiores sunt et agitationis pleniores. Si ergo, ut postremis quinti sæculi annis evenit, melodia ita mutatur ut velocior et ditior fiat, verisimile est futurum esse ut in locum simplicis dochmii ⏑ – – ⏑ – alii minus simplices, sive ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ sive ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –, substituantur. Quod revera evenit et vidimus Euripidem in nonnullis cantibus, in quibus dochmii ceteris metris præstant, non dubitavisse per longas periodorum partes vel per totas periodos resolutos dochmios adhibere Eo ipso tempore quo ejusmodi dochmii frequentius adhibentur, trimetrum et pentametrum rarius recipiuntur et paulatim omnino fere excluduntur; ea autem cola quæ e pedibus numero paribus constant sola fere retinentur. Si enim satis facile est percipere rhythmum complurium periodorum iambicarum, in quibus omnes pedes resoluti sunt, vel cum eæ periodi a compluribus canuntur, fieri non potest ut audientes rhythmum doch-

miacæ periodi sentiant, cujus omnes aut saltem plerique pedes e brevibus syllabis constant. Quod vix liceat, si eæ periodi a persona vel canendi peritissima canantur. Fieri igitur potest ut varietas melodiæ cum iambicis aut trochaicis aut logaœdicis periodis non repugnet, quarum complures pedes resoluti sunt, vel si eæ periodi, e quibus stropha aut comma constat, magnitudine impares sunt.

Rhythmus enim periodi huic similis :

— | ∪∪ — | ∪∪ — | — ∪∪ | —   4
— ∪ | — ∪ | — ∪ | — ∪ | 3
∪ | ∪∪∪ | — — | ∪∪∪ | —   5
∪∪ | — ∪∪ | — ∪∪ | — ∪∪ | —   4
∪ | — ∪ | — ∪ | ⊔ | — ∧ [1]   3

aut hujusmodi :

∪ | ⊔ | — ∪ ∪ | ⊔ | — ∪ ∪ | ⊔ , — ∪ ∪ | ⊔ | — ∪ ∪ | — ∪   5-4
∪ | ⊔ | — ∪ ∪ | ⊔ | — ∪ ∪ | ⊔ ‖ — ∪ ∪ | ⊔ | — ∪ ∪ | — ∪   5-4
∪ ∪ ∪ | ⊔ | ∪ ∪ ∪ | ∪ ∪ ∪ | ⊔ ‖ — ∪ | ⊔ | ∪ ∪ ∪ | — ∪   5-4
— ∪ | — ∪ ∪ | ⊔ | — ∧ [2]   4

in quibus miscentur tripodiæ, tetrapodiæ, pentapodiæ, rationales, resoluti, per syncopen concisi pedes, quod ad rhythmum attinet, sine magno labore percipi potest ; conjunctio enim pedum parium impariumque non multum addit diffficul-

[1] *Orestis* 1353-1548. Comma T.

[2] In *Phœnissarum* 1485-1581. Comma Γ.

tati quæ pedum diversitate efficitur. Sed si quis considerare velit periodum dochmiacam cujus plerique pedes resoluti sunt, ut evenit in *Orestis* 140-207 Stropha A :

⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑,
⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑
⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – | ⏑ – – ⏑ –,

fatebitur sine ullo dubio ejusmodi periodum, quantacumque est accentus auctoritas, nihil aliud esse nisi brevium syllabarum seriem, cujus rhythmus ea tantum condicione percipi potest, si ea brevium series in duas aut tres aut quattuor partes magnitudine pares dividitur. Quodcumque in ea periodo perceptu difficile est, propterea quod omnes dochmii sunt resoluti, eo difficilius fiat necesse est, si membra imparia sint. Quod est inæquale et inordinatum in dochmio iteratione, ut jam dixi, æquale fit, ea tamen lege ut nihil æqualitatem et quasi concordiam quæ ex iteratione efficitur frangat.

Ex iis quæ diximus licet, ut videtur, colligere omnes variasque rationes, quæ erui possunt ex immutationibus quas novi dithyramborum scriptores in musica quinti sæculi effecerant, non sufficere ad declarandum qua de causa membra magnitudine imparia in ejusmodi musica, in qua rhythmus semper nonnihil valuisse videtur, paulatim derelicta sint. Si igitur tetrapodia ad extre-

mum adeo sæpe adhibita est, ut vis omnis auctoritasque penes eam esset præter cetera membra, in quolibet rhythmo, vel in cantibus in quibus poeta saltantium motus potius respiciebat quam animorum affectus, merito dici potest omnia metra simpliciora facta esse, quia ipsum dochmiacum simplicius in dies evaserat neque ulla alia ejus rei causa est quam quod dochmius adeo in dies sæpius adhibitus erat, ut Euripides id metrum ceteris anteposuisse videatur.

Vidi ac perlegi
LUTETIÆ PARISIORUM IN SORBONA
A. D. IV KAL. FEB. ANN. MCMII
FACULTATIS LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI
DECANUS
A. CROISET.

TYPIS MANDETUR
ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR
GREARD.

TABULA RERUM


LA LABORIEUSE

